


BIBLIOTECA NAZ.
150
I
28
NAPOLI


BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
I
25



CHRISTIANI HENRICI ECKHARDI

I. V. D. ELOQVENT. ET POES. PROF. P. O. IVR. EXTRAORD.
SOCIET. LAT. IENENS. QVONDAM DIRECT. CELEBERR.

INTRODVCTIO
IN
REM DIPLOMATICAM
PRAECIPVE GERMANICAM

IN QVA
REGVLAE IDONEAE VERA DIPLOMATA
A FALSIS SECERNENDI EXPONVNTVR
ET LVCVLENTIS EXEMPLIS ILLVSTRANTVR
IN VSVM
HISTORIAE AC IVRIS PVBLICI ET PRIVATI
GERMANIAE.

EDITIO ALTERA
EX SCHEDIS AVCTORIS LOCVPLETATA ET EMENDATA.





IENAE
SVMTIBVS WILH. ERNEST. THEOD. GVTHE.
A. O. R. CIↃIↃCCLIII.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO
AVGVSTO
DVCI SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE MARGGRAVIO MISNIAE
PRINCIPI COMITI HENNEBERGIAE COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTAE RAVENSTEINII RELIQVA
SVMMI TOTIVS CAESAREI EQVITATVS
ET LEGIONIS PEDESTRIS AEQVE ATQVE
EQVESTRIS TRIBVNO EODEMQVE
CAESAREO

PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME



I in tanto, in quo emines, faſtigio, omnes TVAS *curas cogitationesque ciuium et prouinciarum, quae imperio* TVO *ſapientiſſimo parent, commoda ſibi ſolum vindicarent, aut eo eſſes animo, vt rei publicae rationes a Muſarum tutela ſeiunctas eſſe exiſtimares: meam ipſe temeritatem accuſarem, quod oculis* TVIS, SERENISSIME PRINCEPS, *libellum perexiguum quam*

demiſ-

demissiſſime ſubiicere ſuſtineam. Neque enim ignorare poſſum, quod res ipſa, multis magnisque immortalium operum monimentis comprobata, loquitur, et quotidianis praeconiis veluti conſecratur, quanta rerum gerendarum mole diſtringaris, et quam admirabili et prope diuina animi magnitudine erecti dies noctesque prouinciarum TVARVM *ſaluti prouidentiſſime conſulas; hoc maxime tempore, quo moderante ita, qui fata regnorum et rerum publicarum temperat, Deo immortali, ampliſſimarum ditionum hereditatem adiiſti. Sed quum ſummam togae bellique prudentiam, et excellentiſſimas, quae in Principis perſonam et magnae fortunae cultum conueniunt, virtutes, ad auitam illam* SAXONIAE GENTIS *gloriam adiunxeris, vt munifica planeque regia voluntate Muſas foueas ac tuearis: non verendum mihi eſt, ne benigniſſime non patiaris, vt fulgentiſſimo* TVO NOMINE *munitum adpareat opuſculum, quo de vſu diplomatum Germaniae diſſerui, et, qui falſa a genuinis diſcerni*

ni possint, exposui. Magnam omnino diplomatum partem in Germania illa absoluunt, quae AVGVSTA ET POTENTISSIMA GENS SAXONICA *a multis retro saeculis sacris collegiis, ciuitatibus, et praeclare de se meritis concessit, quae non minus ob venerandam antiquitatem, quam quod Principum maiestatem, ipsis etiam illorum operibus spectatiorem et pereniorem, prae se ferunt, eminentissima illorum in S. R. I. iura, et diuina in omnem rem merita luculentissime loquuntur, summo in pretio habentur. Infelicitatis non postremae loco* IPSE *numeras splendidissima* TVA *tabularia, vera vetustatis sacraria, quae antiquitate, praestantia, et adparatu chartarum et diplomatum, quae ibi tamquam gemmae, auro contra pretiosiores, religiose solliciteque custodiuntur, cum paucis in Germania possunt conferri. Eminent adhuc in terris* TVIS *duo oppida, quae magna rerum ibi gestarum magnificentia olim floruerunt, et insigni summorum Principum splen-*

dore

dore celebrata ſunt, in quibus Reges et Imperatores Germaniae tot Principes, Saxonicos potiſſimum, ampliſſimis beneficiis, diplomatibus conceſſis, ornarunt, Altſteda alterum, alterum Dornburgum propter Salam, Cuius itaque tutelae potius, quam TVAE, SERENISSIME PRINCEPS, *tradam atque conſecrem hanc de re diplomatica Germ. commentationem? qui et ſingulari tutela foues tabularia inſtructisſima, atque palatia quondam celeberrima, et tantum chartis vetuſtis ſtatuis pretii, quantum illis incorrupta fides et ſumma auctoritas conciliare poſſunt. Quae omnia tanto mihi incitamento ſunt, vt confidentiore animo ſacram* TVAM *purpuram adeam, et in laetisſimam me ſpem erigunt, fore, vt hunc libellum tamquam ſanctisſimi pignus officii et ſempiternae fidei ſubiectisſimaeque obſequentiae teſtimonium, ea, qua ſoles, fronte quidquid ex animo* TIBI *deuotisſimo proficiſcitur, accipias, et clementia* TVA *auctorem haud indignum iudices. Caeterum ſummum, quod*

omnia

omnia moderatur, Numen castis piisque precibus supplex rogo, vt TE, SERENISSIME PRINCEPS, *aeterna virtutis florentem laude, ad seros annos saluum atque incolumem praestet, quo prouinciarum* TVARVM *opes ac felicitatem quam diutissime tuearis, et augustam domum* TVAM *ita stabilias, vt eius gloria iisdem, quibus haec rerum vniuersitas, finibus terminetur. Est haec votorum summa, quae incitatissima pietate concipit*

SERENITATI TVAE

deuotissimus subiectissimusque

CHRISTIANVS HENR. ECKHARD.



LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
M. IO. CHRISTIANVS BLASCHE
SOCIETATVM TEVTONICAE ET LATINAE IENENSIVM COLLEGA.



Qui poſt auctorum fata prodeunt in lucem libri, illos haud raro iuſtiſſimis de cauſſis conſtat, ſuſpicione mala premi, ac negligi. Quorum alterum quum huic quoque contingat, in rem diplomaticam introductioni, hoc nouo habitu vulgandae; caruit enim omnino rebus humanis excellens ECKHARDI ingenium, ante annum et

quod excurrit, flebiliter exſtinctum, eo ipſo tempore, quo maxime florere in litteris poterat: alterum illud ne contingat, quia res ita monet, cauendum eſt. Ac primum id facile apparere cuilibet poterit, acceſſiones libelli, quem nunc edo, non eſſe ex eiusmodi genere vel lucubrationum, vel animaduerſionum, quas eruditi ad ſuum potius commodum, quam aliquo edendi conſilio, ſuis in ſchedis ſcriptas relinquunt. Quid enim quaeſo frequentius eſt, et magis ab eruditis viris quaſi more receptum, quam vt, quae ſemel enixi, atque in lucem ire paſſi ſunt, monimenta ingenii, haec poſtea, tamquam agrum ſemel aratum, nouent et iterent, quo illa meliores ſubinde grandioresque foetus edant. Huc igitur eorum animus eſt intentus, huc curam conferunt ſuam, vt, quae ſuperflua videantur, reuocent, quae animo, quaſi peregrinante, ex caeco effluxerint calamo, corrigant, atque in campos laetiſſimos curſu facto, flores vndique decerptos ad libri ſupellectilem locupletandam, magna copia ſecum auferant. Fecit hoc ipſum ECKHARDVS inſigni cum ſtudio ab eo inde tempore, quum opellae huius eruditae publicationem ingens peritorum hominum fauor ſubito eſſet conſequutus. Ac poterat ſane, ſiquidem impatiens morae fuiſſet vir litteratiſſimus, poterat, inquam, iterari editio cum

acceſſio-

accessionibus non exiguis multo quidem ante, quam necessitati ille, nimis vrgenti, cederet. Sed videlicet nec praeuidere poterat obscuram fatorum viam ECKHARDVS, nec rationes cum illis habebat communicatas, qui nullum hominem satis eruditum putant, nisi idem bis terue quotannis insigniter auxerit, pondus si spectes, bibliopolarum tabernas, qui ipsi libris scribendis intenti, melius, peius; prosit, obsit; nihil vident, nisi quod lubet, satis interim sibi beati visi, dummodo ab huius aetatis hominum reprehensione securi, et patrocinio quorumdam velut censorum nixi, qui tamquam posita sella pronunciant, latere tecto incedunt. Itaque quod auctor ipse nondum satis coctum, satis maturum iudicauerat, post eius mortem temere vulgatur? Minime illud quidem! Quod si quis suspicetur; potest eum sane et ipsum edendi consilium beati diuinitus viri, ante hos duo fere annos Hamburgo cum orbe erudito communicatum, et ipsa eius manus operi in ordinem cogendi admota conuincere; ex cuius operis principio statim liquet, oculorum sensu iudicatum, partem aliquam prooemii ab illo ipso paullo concinnius esse et rebus et oratione factam. Haec eo dicta esse velim, vt inde quodammodo intelligatur, a temeri-

meritate et ratione peruerſa abfuiſſe et illum, qui ſumtus fecit libro iterum edendo, bibliopolam, meque adeo ipſum, qui mihi, vt eumdem perpolirem, veſtigiis auctoris inſiſtens, perſuaderi ſim paſſus. Quod vt luculentius adpareat; reliquum eſt, vt rationes reddam, partim, quid ſit ab auctore bonae frugis ad locupletandum perficiendumque librum profectum; partim etiam, quam rationem ipſe in edendo ſim ſequutus.

Motus igitur ſuperſtite ECKHARDI fama, et de introductione eius in rem diplomaticam opinione librarius, me adiit, rogans, vt, quantum in me eſſet, amici atque fautoris partes poſt mortem deſideratiſſimi, ſuſciperem, librum accuratius, adhibitis eius ſchedis, recognoſcerem, et, quod inſeri poſſe ex illis videretur, aut corrigi, adderem emendaremque. Re inſpecta atque deliberata, cauſſa detrectandi laboris iuſta apparuit nulla. Pleraque enim ab ECKHARDO adlata animaduerſionum ſupellex, ex magna optimorum librorum copia ſtudioſe collecta, ita erat comparata, vt quam vtiliſſime ex eadem augeri ac perfici liber poſſe videretur. Nouis igitur ille regulis quibusdam auctus eſt, modo latioribus illis, vnde ſcilicet magnae

gnae diplomatum copiae vel integritas cognoſcatur, vel falſitas conuincatur; modo anguſtioribus, ad alicuius viri principis chartas ſpectantibus; modo, quae erat inconſtans veri aut falſi nota, ſuis limitibus eſt circumſcripta; modo maius regulis pondus ex vberiori copia exemplorum acceſſit; modo etiam, quae ſparſa per varios libros, vbi ex inſtituto de diplomatica re ſermo nullus eſt, et facere tamen huc poſſe Auctori recte viſa erant, adducta ſunt. Denique, quod non poteſt non eſſe iucundiſſimum erudiri cupientibus, frequens facta eſt librorum mentio vtiliſſimorum, hanc ipſam in rem ab magni nominis viris in lucem editorum, atque adeo campus quaſi eſt patefactus, in quem, quantum volupe ſit, vniuscuiusque induſtria excurrat.

Has igitur non contemnendas, ni fallor, acceſſiones (de me ipſo enim dicendum nunc eſt,) rem et argumentum quidem ſi ſpectes, BENEVOLE LECTOR, ipſi ECKHARDO fere omnes debes. Diligenter accurateque ab illo fontes erant numeris ſuis oſtenſi, vnde vnumquodque manaſſet. Eius enim librariam ſupellectilem ego ſaepe conſului, loca inſpexi, et nuſpiam fere ab illo erratum eſſe in nume-

rorum notis cognoui. Quod eam ob cauſſam moneo, vt, quoniam omnia explorare mihi, ex amicorum libris petita, quorum copia non erat, minime licuit, vt inquam ex hoc coniectura de reliquis fiat, nec dubitandi ſit locus, niſi, quem hominum conditio, erroris non expers, relinquit. Etſi igitur eam mihi legem ipſe dixiſſem, vt ab Auctoris ſententia ſtarem: tamen non nihil quoque a me ipſo eſt profectum. In re enim manifeſta, auctore alioquin probatiſſimo, errare quis velit? Pertinent huc maxime, quae ſunt de titulo: *Dei gratia*, eiusque vſu diſputata, quam quidem ſupremae dignitatis formulam paullo ſerius fuiſſe frequentatam, atque re vera factum eſt, aliis crediderat Auctor; atque ob eam ipſam rem multas iam chartas falſitatis perperam accuſauerat. Quidquid praeterea rerum ipſe vel addidi, vel immutaui, tanti non eſſe puto, vt ſcire cuiusque magnopere referat. Ad orationis vero caſtitatem quod attinet, aliquid mihi omnino licuiſſe putaui, et in ea, quae litteris erant impreſſa, et quae nouiter acceſſerunt, feſtinantius latine ſcripta, vt inter legendum fieri ſolet. Nec puto, hanc qualemcunque induſtriam, ſi caeteroquin bene res habeat, reprehenſum iri. Tantum enim fuit viri optimi

optimi de me iudicium, tanta eius in me beneuolentia, tanta denique illius modestia, Pliniano aeuo digna, vt, contracta inter nos ante duodenos annos amicitia, ab mutuo litterarum consortio nata atque profecta, quum ille Societatis Latinae Ienensis Ephorus, ego primum sodalis, et postea quatuor annos ab illius epistolis essem, vt inquam saepissime vir humanissimus de elegantioris doctrinae capitibus mecum disputaret, ac siue valetudine impeditus esset, scribendi publice partes in me deferret, siue ipse negotiorum mole oppressus quidquam litteris iuberet, cui fidem aeger animo non haberet, imprimi, me vteretur et disceptatore et arbitro. Quod, quemadmodum sine arrogantiae temeritate a me dictum esse existimari velim, (nam veritatem rei ECKHARDI mei chirographus tueri potest): ita illud ipsum ad laudem eius insignem pertinere certissime arbitror, et ratio inde constare potest emendationis meae. Denique nec illud prorsus est silentio premendum, de indice rerum, vt et accuratior et ad legendi studium accommodatior redderetur, a me esse prospectum, atque de typothetarum quoque erroribus, quantum fieri potuit, cautum.

Vale,

Vale, BENEVOLE LECTOR, et meum de Te merendi ſtudium, ſi quando lapſum me eſſe cognoueris, aequi bonique conſule. Scribebam Ienae, annuus Lipſienſium mercatus, verno tempore quum eſſet. A. A. S. V. P.

CIↃ IↃ CC L III.



LECTO-



LECTORI BENEVOLO

S. D.

CHRISTIANVS HENRICVS ECKHARD.



QVOD in veteri prouerbio eſt, neceſſitatem plerasque artes inueniſſe: id ſi quis arti diplomaticae eueniſſe exiſtimet, is ad ſuum iudicium non meam ſolum, ſed doctiſſimorum quoque hominum ſententiam adſcribat. Quis enim, niſi rerum haud admodum intelligens,

 nega-

negauerit, dudum ante diplomata, quam de arte vera a falsis iudicandi quidquam peruulgatum est, exstitisse? Exstabant illa in tabulariis, in quibus veluti Sibyllae folia custodiebantur, non inspicienda, nisi quando vsus ita ferebat, aut vetustatis memoria excitanda erat, quod fere in portentis numerabatur: exstabant quoque haud pauca in vulgus edita, sed paucissimis nota, vtpote nondum vtilitate illorum perspecta, et nemini in mentem venit, de integritate cuiusdam dubitare, aut fidem eius ad normam quamdam, tamquam ad Lydium lapidem, explorare. Itaque quum, quid prodessent chartae, quidque vtilitatis haberent diplomata, pauci scirent, nec vllius interesset, proba et sincera, an falsa et suspecta illa essent; quid, quaeso, quemquam mouere potuit, vt de regulis cogitaret, quibus vera a falsis possent internosci? vt operam susciperet, quam nec sibi, nec aliis magno vsui fore intelligebat? Neque enim nostra solum aetate, sed patrum quoque memoria iam ea fuit hominum indoles, vt omnia vtilitate sua metirentur, nec quisquam tam patiens fuit, vt discere vellet, quod in vsu non esset habiturus.

Sed

Sed quod ratio nonnullis vix potuit ſuadere, neceſſitas praeter opinionem effecit. Accidit enim, (quis fortuito ita rem cecidiſſe neget?) vt bonis in controuerſiam vocatis, quo iure illa parta eſſent, quaereretur, et periculum poſſeſſoribus intenderetur ea amittendi. Quid hi faciant, vt poſſeſſionem ſuam iure tueantur? Omnia excutiunt, ſcrinia, et forulos omnes expilant, incidunt forte in chartas et tabulas, vetuſtate paene exeſas, quas, quum legitme ſibi adquiſita bona eſſe ex iis cognoſcunt, proferunt, et aduerſariis opponunt. Quemadmodum vero gladiatores circumuenti ab aduerſariis, et loco deiecti, omnes corporis vires et neruos intendere ſolent, ne amittant victoriam, quam antea in manibus fere habebant: ita, qui ſpe iam deuorauerant bona, prolata contra ſe diplomata, quae iuſti tituli priuilegium loquuntur, ne ea quidquam poſſeſſoribus proſint, conficta et ſpuria eſſe contendunt. Sic, credo, factum eſt, vt inueſtigatae primum ſint notae genuinorum et ſpuriorum diplomatum, et vt ita credam, res ipſa monet, et ſummorum hominum auctoritas cogit. Equidem non ignoro, eſſe viros

 doctiſ-

doctiſſimos, et in his V. C. IVSTVM FONTANINI, quibus perſuaderi non poteſt, bella, vt vocant, diplomatica primum nobis artem hanc adtuliſſe, vti mihi videtur, eosque paullo altius rem repetere, et apud antiquiſſimas Germaniae gentes, vtpote Ripuarios, eius incunabula iam ſibi reperiſſe videri. Sed id quoque ſcio, rationem eos fugere, et antiquitatem huius artis maiorem facere, quam quidem probari poſſit. Nam ſi Ripuarii, vti aliae gentes Germanicae falſi crimen ſeueris poenis vindicarunt, multa praeclare aduerſus falſariorum fraudes ſtatuerunt, et chartam comparatione aliarum falſam pronunciatam, perforandam ſanxerunt; an ideo artem criticam eos exploratam habuiſſe dixeris, aliarum artium rudes et imperitos? Ab his initiis, exiguis ſane, profecta eſt ars diplomatica, et, vti *obſeruatio diuturna notandis rebus artem fecit* auctore TVLLIO; ſic quas ſparſim in bellis diplomaticis obſeruando alii notarunt, expreſſas in diplomatibus veritatis et falſitatis notas, viri ingenio doctrinaque acuti ad praecepta reuocarunt. Vnde non mirandum eſt, mancam quodammodo ac imperfectam

ctam fuisse initio hanc scientiam, et multa, quae pro certis tradita sunt, falsa alios esse animaduertisse, adeo, vt si nihil habuissent alii, quod reprehenderent, hoc mihi longe magis mirandum videretur. Quid enim simul et inuentum et perfectum est? anne omnes artes, veluti per gradus adscendentes, ad id, quod summum est, peruenerunt? Et quis est tam subducta ad docendum ratione, quin aetas, vsus et experientia semper aliquid adportet noui, et quae certa primo putauit, postea tamquam incerta repudiet? Est haec earum artium, quae obseruatione magis, quam aliae inueniuntur, in quarum numero artem quoque diplomaticam esse, vnusquisque intelligit, indoles, vt ab ipso quasi temqore vires capiant, et quotidie limites illarum proferantur. Quo longiori vsu tractantur, eo magis limantur et perpoliuntur, et ad perfectionem quamdam accedunt, quemadmodum fluuii, quo longius progrediuntur, paullatim sordes, quas ab ortu trahunt, amittunt. Multa vidit MABILLONIVS, ad quae caligauit CONRINGIVS: in multis haesit MABILLONIVS, quae ab aliis in aprico posita sunt, et quae nos in-

certa existimamus, de iis certius statuent posteri. Nescio igitur, quonam fato factum sit, vt quam recte de aliis artibus nonnulli senserint, tam inique cum arte diplomatica egerint. Fuerunt enim, qui eam tamquam nugatoriam, futilem, inconstantem, lubricam, in qua nihil sit, quo tuto pedem figas, traduxerint, et, si eorum res acta esset arbitrio, dudum in exilium esset acta. Sed rideant eam censores, industria et contentione nostra indignam clament, et proscribendam censeant! non recuso, dum ferali hoc edicto alias omnes artes quoque comprehendant. Nam, quae magno supercilio in arte diplomatica notant, ea omnia cum hac aliae artes communia habent. Et si ob vtilitatem, quam habent, alias retinendas censent, hanc quoque reiicere non possunt, quia vsu et praestantia multis anteponenda, paucis aequiparanda videtur. Nec satis bona fide agere videntur, qui partem quamdam paullo seuerius expendunt, et ex eo specimine alio iudicare iubent, quam parum certum et stabile sit totius artis fundamentum, et quam male bonas horas perdant, qui in ea ingenium industriamque

que exerceant, ſimiles profecto illi ſcholaſtico faceto apud Hieroclem, qui domum venditurus, euulſum ex illa lapidem tamquam in ſpecimen circumferebat. Non magis enim de parte, niſi totum inſpiciatur, quam de aedibus ex lapide, vno pariete euulſo, licebit iudicare. Memini praeclare ſapienterque a SENECA dictum: *res geritur, et per lineamenta ſui ingenii opus nectitur, ex quo nihil ſubduci ſine ruina poteſt, dummodo in ipſo homine conſideres*, id quod de arte diplomatica dicendum eſſe, nemo non intelligit. Sed longa eſt iniuria, cui profligandae vix opus eſt immorari, praeſertim, quum iam a viris doctiſſimis cauſſa haec perorata ſit.

Quemadmodum vero nihil, quod pluribus conſtat rebus, ita perfici ac perpoliri poteſt, vt omni ex parte abſolutum videatur: ita quoque, ſi in ſingulis alii elaborauerint, tunc demum illud neſcio quid praeclarum atque eximium ſolet efflorеſcere. Venia ergo parata merito eſſe debuit iis, qui primum artem vera diplomata a falſis diſtinguendi inſtituerunt, quandoquidem in vniuerſo genere ela-

bora-

borarunt, et quum omnium, quae ad illam pertinent, animo praeceptisque comprehendere vellent ſcientiam, ſingula quaeque non ſemper adcurate perſequi potuerunt. Atqui noſtro ſaeculo haec contigit felicitas, vt plures veluti claſſico excitati ad illuſtranda ſingula et potiora artis diplomaticae capita omne ſtudium ac ingenium contulerint viri doctiſſimi, et de litterarum commodis egregie meriti, quorum opera in pretio erunt, quoad litteris his ſuum conſtabit pretium. Sunt, qui de ſigillis ex inſtituto diſputarunt, et quidquid lectione veterum monimentorum indagari poterat, magna diligentia varioque ſtudio moliti ſunt. Sunt, qui monogrammata cum cura ſibi inueſtiganda ſumſerunt, et praeclara induſtria, quam in explicandis illis poſuerunt, effectum eſt, vt inſignis lux rei diplomaticae acceſſerit. Reſtabat adhuc argumentum de temporum adnotationibus, et aeris principatus, quae in diplomatibus vſurpantur, difficile ſane et intricatum, quod minus adhuc explanatum videbatur. Sed hic quoque inuenti ſunt, quos neque rei difficultas, neque moleſtiarum deuorandarum magnitudo deterrere potuit, quin

ſale-

ſalebroſam ingrederentur viam, et ſpinis obſitum iter conficerent, planum atque expeditum aliis futurum. Quum intereſſe videretur, Archicancellariorum et Cancellariorum Regum et Imperatorum Germaniae adcuratam habere notitiam; nihil reliqui fecerunt viri docti, vt eam in lucem et ad communem huius aetatis vtilitatem proferrent. Porro palatiorum et villarum regiarum, in quibus diplomata data ſunt, memoria ex annalium vetuſtate eruenda erat, vt nihil ad operis perfectionem deeſſet; reſtituta eſt. Et quid dicam de tot elegantiſſimis obſeruationibus, quibus aliorum praecepta vel perpolita magis ſunt et ſtabilita; vel minus ad amuſſim facta, emendata, et denique compluribus aliis antea incompertis locupletata? Quis ergo dubitet, laetiorem faciem artem hanc noſtra aetate induiſſe, et ſi qua adhuc illi deſint ornamenta et praeſidia, venturam aetatem adlaturam? Nonne optima ſpes adfulget, fore, vt tandem deſinant de lubrico artis diplomaticae conqueri, vel potius ſomniare, et naeuos, quos oculis male curioſis venantur, acrius conſectari? Sed huius quoque

felicitatis caussa referenda est ad illud incredibile studium, quod diuinitus hominibus iniectum est, colligendi et proferendi in lucem diplomata, aliaque veteris aeui monimenta, absque quo foret, nihil esset, in quo prae superiore aetate nostra gloriaretur.

Quae quum intelligerem et animo mecum paullo adcuratius reputarem; hanc feci cogitationum mearum summam, operae forsan pretium me facturum, si quae disputata sunt de fide diplomatum, quoad eius fieri posset, idoneis praeceptis complecterer. Non ignorabam in tanta litterarum luce, quum vbique ferueat iuris Germanici tum publici tum priuati studium, nihil magis, quam diplomata studiosae iuuentuti commendari solere, vt ex ipsis fontibus relictis riuulis, hauriat pleniorem iuris scientiam, et tamen regulam non habere, vnde, quid distent aera lupinis, scire queat. Etsi vero satis cuiusque desiderio facere videbantur incomparabile IOAN. MABILLONII opus, et quod illi, si non anteponendum, certe aequiparandum est, CHRONICON GOTTWICENSE: illud tamen vel eo

nomine

nomine non magno vſui erit, quod in Francorum tantum Regum diplomatibus verſatus eſt praeſtantiſſimus auctor; in hoc vero latius ſparguntur praecepta, quam vt ſtatim reperiri queant, quae ſcire cuiusque intereſt. Accedit, quod tantae molis ſint abſolutiſſima haec opera, vt non omnibus liceat oracula haec conſulere, nec tamen ideo illos carere fas eſt hoc praeſidio tam vtili, tam neceſſario. Sed exſtat quoque viri ſummi, IOANNIS NICOL. HERTII opuſculum, quod nemo legerit, quin expreſſa quaedam excellentis ingenii, ſubacti multo rerum vſu iudicii, et exquiſitae eruditionis veſtigia, quae in ceteris eius lucubrationibus admiramur, perſpexerit. Tantum vero abeſt, vt rem omnem exhauſerit vir ille cum paucis ſuperioris ſaeculi comparandus, vt aceruatis aliis ſuper alia praeſidiis et obſeruationibus, quibus poſt eum reſpublica locupletata eſt, vix primas lineas argumenti duxiſſe videatur. Itaque quum non verendum eſſet, ne mei me conſilii olim poeniteret; facile a me impetraui, vt hunc laborem ſuſciperem, eoque publici in me fauoris experimentum facerem, praeſertim, quum

hoc cogitanti ſtimulos quaſi admouerent viri, quorum neque auctoritatem ignorare, neque iudicium negligere debebam.

Sed ne ignores, BENEVOLE LECTOR, in quo potiſſimum induſtriae meae curriculum elaboratum ſit, paucis inſtituti mei rationes reddam. Primo vero ita habe, conſtitutum mihi fuiſſe, rem Germaniae diplomaticam, ſi poſſem, ſuccincte explicare, et viam veluti munire iis, qui ipſum hunc campum, ſane ampliſſimum, ingredi, et diplomata legere ſtatuerint. Sed quum hoc nec rite explicari, nec ſatis intelligi poſſe videretur, niſi generatim et carptim perſtrictis iis, quae diplomata in vniuerſum ſpectant; Sectione prima de arte diplomatica diſſerui, et, quod eius fundamentum ſit, paullo adcuratius, ni fallor, oſtendi. Nam qui moderatius inſaniunt, genuina diplomata ſupereſſe non negant, nec omnia pro ſpuriis, poſita omni fronte, habenda eſſe cenſent. Exinde vero recte colligere mihi videor, genuinis diplomatibus notas quasdam ineſſe debere, ex quibus a falſis diſcerni poſſint, quae ex ſimilitudine plurium exemplorum ducuntur. Tales autem notas, ex ſingulis

ſingulis diplomatis partibus depromtas, comprehendunt regulae; quae ſi vno quaſi faſce colliguntur, et inter ſe connectuntur, quid aliud efficitur, quam ars? Deinde ea quoque mihi exponenda putaui, quae ad antiquitatem et auctoritatem diplomatum pertinere videbantur, et quae de fatis et materia illorum diligenter litteris conſignata, vel obſeruata ſunt a viris doctiſſimis. Praeterea, quum res diplomatica duobus his quaſi capitibus, quorum alterum externa, vt vocant, alterum interna, complectitur, abſoluatur: capitulatim ſingula ea expoſui, et quae de his adnotata ſunt, aut dici poterant amplius, ad praecepta idonea et perſpicua reuocaui; id ſemper dans operam, vt ea ex fontibus, hoc eſt diplomatibus, fluere quisque intelligeret. In conſilium vbique adhibui praeſtantiſſimos auctores, qui idem ſtadium cucurrerunt, vel ſingula argumenta tractarunt, et, quid illis debeam, vbique prae me fero. Quid enim tam illiberale, tamque parum homine ingenuo dignum, quam ignorare aut tacendo diſſimulare vnde, et per quos profeceris? Ex quo inſtituto hunc quoque fructum cepi, vt ſedulo diligenterque peruolutatis lucubrationi-

bus aliorum, et excuſſis diplomatibus ipſis, multa indagauerim, quae aliis in mentem veniſſe haud arbitror, quaeque perperam tradita ſunt, adcuratius explicauerim, et ex his omnibus plures collegerim regulas, quas fruſtra alibi quaeſiueris. Operam quoque dedi, vt exemplis luculentis ex diplomatibus petitis regulae, quas dedi, illuſtratae eſſent, aut ſponte eas ex dictis promanare intelligi poſſet.

Denique nihil reliqui feci, vt oratio, non quidem verborum floribus conſperſa eſſet, at pure tamen, et quantum fieri poteſt, minus aſpere flueret. Sed quemadmodum, qui paullo familiarius cum peregrinis hominibus verſantur, non ſolum vocem, geſtum, mores illorum, et ea, quae probant, imitantur, ſed etiam, quae ipſi in illis reprehendunt, ſenſim ex longa conſuetudine et vſu arripiunt: ita quoque nemo mihi ſuccenſebit, ſi mihi in mediaeui monimentis et chartis, inquinatiſſimi ſermonis ſordibus pleniſſimis, verſanti, quamuis ab illorum barbarie mihi quam maxime cauerim, talia exciderint, quibus minime adſuetae ſunt aures teretes et religioſae. Quamquam vero

vero ipſe probe intelligam, quidquid hoc ſcriptionis eſt, nulla ſe dignitate tueri poſſe; nolim tamen bene de aliorum ſtudiis merendi voluntatem mihi eripi, eo, quod ita me in hoc labore verſatum eſſe, memini, vt non plane nullum fructum ad meam conſcientiam mihi referre liceat. Quod ſi a TE, BENEVOLE LECTOR, impetrauero; facile quoque mihi ea, vt ſpero, condonabis, quae minus adcurate dicta ſunt, et lima indigent, et ego facile alios ſuo ſenſu abundare patiar. Haec ſunt, quae TE volui, LECTOR BENEVOLE. Tu vale, et ſi quid bonis litteris me prodeſſe intellexeris, mihi faue.

In Academia Ienenſi ipſis Kal. Octobris anno CIƆIƆCCXXXXI.



ARGV-



ARGVMENTA CAPITVM.

PROOEMIVM.

SECTIO I.

De arte diplomatica generatim, auctoritate, fatis et materia diplomatum.

SECTIO II.

De externis diplomatum notis.

SECTIO III.

De internis diplomatum notis.

INTRO-

INTRODVCTIO
IN
REM DIPLOMATICAM
PRAECIPVE
GERMANICAM.



PROOEMIVM
DE
NECESSITATE VTILITATE ET SVBSIDIIS REI DIPLOMATICAE.

§. I.



In tanta tamque immenſa tabularum omnis generis et diplomatum multitudine, cuius varias et multiplices eſſe cauſſas inter omnes conſtat, et ſincera, et ſpuria occurrere poſſe, quin vere haec illis permixta eſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Nam vt nihil tam ſancte tamque prouidenter conſtitutum eſt, quod non verſutorum et male feriatorum hominum fraudes temerauerint: ſic nullis non temporibus falſarii et impoſtores exſtiterunt, qui vel ſpe emolumenti, vel alia cauſſa minus honeſta inducti, tabulas et diplomata confingerent, eaque pro veris ſubiicerent.

§. II.

Ex quo litterarum vſus coepit, nihil ad memoriam rerum conſeruandam aptius veteres populi iudicarunt, quam ſi res, quarum ſcientiam poſteris profuturam putarent, publice per idoneos homines in tabulas et litteras, teſtibus etiam cuſtodibusque adpoſitis, referrent, publiceque ſeruarent. SCIPIO MAFFEI *Iſtoria diplom.* p. 12. Itaque genuina prius monimenta et diplomata exſtitiſſe oportet, quam falſa et ſpuria coeperunt fingi, quippe quae ad genuinorum imitationem conficiuntur, vt pro veris habeantur.* SIMON FRIDERICVS HAHN *diſſ. ad diploma Bergenſe p.* 2.

* Multum, ſi quid video, ratio haec valet ad probandum, omni tempore genuina exſtitiſſe diplomata, licet admodum imbecillis viſa ſit IO. GVILIELMO HOFFMANNO *comm. de lubrico artis diplomat. p. 9.* Nemo ſane falſum teſtamentum ſcripſit, qui nullum authenticum vidit aut legit, et nummi adulterini ad ſimilitudinem genuinorum fabrefacti ſunt. Nullae ergo tabulae ſpuriae fingi et ſupponi potuiſſent, niſi germanae exſtitiſſent, quas impoſtores imitari ſolent. Sic Titus maximum ſe falſarium eſſe potuiſſe profeſſus eſt, quod chirographa, quaecunque vidiſſet, poſſet imitari. SVETON. in *Tito c. III.*

§. III.

Varia quidem aduerſus falſarios reperta ſunt, vt memoriae rerum, tabularumque fidei conſuleretur, et grauiſſimae poenae iis, qui diplomata fingere, corrumpere aut interpolare auſi eſſent, propoſitae. Nam vti SCo, Neronis temporibus facto, ſancitum eſt, vt tabulae publici vel priuati contractus non obſignarentur, niſi pertuſae, ac ter lino per foramina traiecto, quod egregie illuſtrant tabulae diplomatis a Galba Imp. dati apud SCIP. MAFFEVM in *Iſtor. diplomat. §. XIII p. 33.* SVETONIVS in *Neron. cap. XVII.* PAVLLVS *Recept. Sent. V. 25. 6:* ſic apud germanicas gentes variis poenis,

nis, amissione nempe certae bonorum partis, et praesertim manus, aut pollicis amputatione, quin etiam vltimo supplicio in chartarum vel publicarum, vel priuatarum corruptores et sigillorum adulteratores animaduersum est. * LEX RIPVAR. *Tit. LIX. §. III.* L. WISIGOTHOR. *L. VII. T. V.* LEG. LANGOB. *L. I. T. XXIX. §. II.* vid. IVSTVS FONTANINI *vindic. antiquor. diplomat. L. I. cap. V. §. 5. sq.* CHRON. GOTTWIC. *Tom. I. L. II. p. 80.*

* Ex Lege Ripuariorum *T. LIX. §. V.* modum discimus chartae integritatem in iudicio probandi, nimirum per trium chartarum inter se comparationem. Quod si charta suppositiia pronunciata erat, aut alia falsitatis indicia prodebat: iudicis iussu perforabatur, eodem fere modo, quo nunc etiam nummi adulterini perforari et adfigi solent. LEX RIPVAR. *T. LVIII. §. 5.*

§. IV.

Neque vero vlla caueri potuit prouidentia, quo minus chartae et diplomata confingerentur, aut spuria pro veris subiicerentur, nec vllis, quamuis grauissimis poenis, falsi crimen coerceri. Magnus semper falsariorum numerus fuit, infestis praesertim temporibus, quibus omne litterarum lumen exstinctum erat: nulla autem saecula huius flagitii feraciora fuerunt, quam vndecimum, et proxima, quae illud sequuntur, vt obseruat DANIEL PAPEBROCHIVS propylaeo *antiqu. n. 103.* In primis sacri ordinis homines huius criminis accusantur, quippe qui in fingendis et refingendis tabulis diplomatum ita excelluerunt, vt turpissimo artificio insignem fecerint quaestum, et ex officina illorum ingens falsorum diplomatum numerus prodierit. * Quamquam vero GABRIEL NAVDAEVS apud HERM. CONRINGIVM in *censura diplomat. Lindau. p. 305.* omnem huius flagitii culpam in diui Benedicti familiam confert

fert, et IO. LAVNOIVS in *discuss. cap. IV. p. 227.* Dionysianum Benedictinorum monachorum tabularium *spuriarum chartarum et priuilegiorum officinam* adpellat: satis tamen constat, nulla fere collegia, nulla monasteria a labe falsorum instrumentorum immunia esse. IO. MABILLON *L. I. de re diplomat. cap. VI. et L. III. cap. III.*

* Nec mirum, inquit BEATVS RHENANVS *L. I. rer. Germ. p. 79.* si rudibus istis saeculis olim ausi sint talia confingere monachi, quia praeter hos tum nemo norat litteras. Sic Leo IX. P. R. monasterii Sublacensis falsissima instrumenta chartarum notauit, et ex magna parte ante se igne cremari iussit, teste BARONIO *annal. ecclesiast. ann.* CIↃLI. *§. 6. tom. XI.* p. *199.* Cel. GOTTFRIDVS LEONHARD. BAVDISIVS in *notis* ad LVD. ANTON. MVRATORII *histor. Ital. tom. VI. p. 277.* Infinita quoque opum exaggerandarum cupiditas, vel metus illas amittendi clericos impulit, vt pro adquirendis vel tuendis possessionibus et priuilegiis commenta cuderent. Sic Gerronius S. Medardi apud Suessionenses monasterii sodalis, morti quum esset vicinus, non crimini, sed gloriae sibi duxit, sodalibus praesentibus egregia sua facinora, conficta scilicet diplomata, commemorare, quibus immensas opes S. Medardi collegio comparasset. LVDOV. RAGVET *histoire des contestations sur la diplomatique p. 75.* Insignis quoque falsarii cucullati meminit Fridericus II. Imp. apud PETRVM DE VINEIS *L. V. ep. XXII.* Alia exempla clericorum, qui diplomata et sigilla refingere non dubitarunt, exstant apud STEPH. BALVZIVM *Capitular. Tom. II. p. 52.* et in *cap. 3. X. de crimine falsi.* Conf. pe illustris viri ERNESTI IOACH. DE WESTPHALEN *praef. tom. II. moniment. ineditor. rer. Cimbric. p. 9.*

§. V.

Vera ergo non minus, quam supposititia diplomata hodienum superesse, vt quisque rem suis momentis maxime ponderat, ita nobis lubentissime concedet. Hoc, si quis addubitet, luculentissime *bella*, vt vocant, *diplomatica*, magno vtrinque animorum aestu in summis I. R. G. tribunalibus gesta confirmant, in quibus illud omni studio actum est, vt aut veritas, aut falsitas diplomatum, qua stabat, cadebatque victoria caussae, in iudicium deductae, adpareret. *

* Nulla

* Nulla igitur diplomata credere falsa esse, aeque sane stultum est, atque omnibus omnino, tamquam suspectis, fidem derogare. Absonum porro est, comminisci, si qua olim vera exstitissent diplomata, aut incendiis illa periisse, aut aliis temporum iniuriis cuncta siue erepta, siue dispersa intercidisse. Quid enim quaeso erat, quod tempus edax rerum, inuidiosam vetustatem, incendia, aliasque calamitates innumeras admoneret, vt veras tantum absumerent chartas, falsis parcerent? An, vt saepe homines temerarii, ita etiam res inanimatae contra veritatem armantur? Aut, siquid aliquando fraus atque temeritas abstulit; num nihil aduersus eas vmquam valuit illorum hominum in custodiendo industria et circumspectio, quorum, incorrupta esse rerum gestarum possessionumque monimenta, non minimum intererat?

§. VI.

Sunt autem diplomata genuina, vt inter omnes constat, litterae et monimenta publica, quorum summa est fides atque auctoritas, vt et insitus cuique sensus, et summa necessitas, et consentiens sapientissimorum omnis aeui hominum tum opinio, tum consuetudo iubet, existimare. Nemo enim est, quin ita animo adficiatur, quum rem aliquam litteris ac monimentis publicis testatam reperiat, vt omni dubitatione liberatus, in eorum testimonio et auctoritate acquiescat; quum in iis contra, quae priuata auctoritate traduntur, animus semper aliquid amplius desideret, quod maiorem credendi necessitatem adferat. v. C. IO. AVG. ERNESTI *diss. de fide historica recte aestimanda §. XII.*

§. VII.

Magna igitur diplomatum vis est, et magna auctoritas, si germana sint et sincera, nulla vero, si spuria et conficta. Multum ergo ad fidem recte constituendam interest, verum, an falsum sit diploma, explorare, ne, si falsa pro veris habeamus, rerum fides concidat, et damnum alteri inferatur. *Recepto enim mentito instrumento,*

mento, vt recte iudicat BARTHOL. GERMONIVS *disc̄ept. II. P. IV. c. 2. ius commune violabitur, praediis ſuis iniuſte eiicientur legitimi ſucceſſores, veterum annalium ſeries interturbabitur, peruertetur ordo temporum, hiſtoriae fides concidet. Plurima huius rei exempla ſubminiſtrant vel ipſa Meruuingicae et Carolinae aetatis diplomata. Neque leuiora*, pergit idem, *falſae chartae damna inferunt tum priuatis hominibus, quibus aut praedia eripiunt, iniuſte, aut lites aeternas ſuſcitant, tum nobilibus familiis, quas furtiua ignobilium hominum et nouorum admiſſione contaminant.*

§. VIII.

Fieri autem non poteſt, quin vera diplomata pro falſis, aut falſa pro genuinis accipias, et nubem, vt aiunt, pro Iunone amplectaris, niſi regulam in numerato habeas, qua vera a falſis diſcernantur. Sane res ipſa ſtatim in bellis diplomaticis docuit, norma opus eſſe, ad quam, tamquam ad Lydium lapidem, diplomatum fides exigi, ſeu iudicium de integritate et falſitate eorundem dirigi poſſet. Ars autem verum et falſum ſecernendi generatim *critica* vocatur. Ex quo fit, vt ars diplomatica, quae germana diplomata a commentitiis diſcernere docet, ſub criticae artis genere comprehendatur.

§. VIIII.

In omni diplomate duo ſpectari debent, *materia* nempe et *forma*, e quibus notae et characteres genuini diplomatis ducuntur. *Materia* ineſt in rebus, et rationibus perſonarum, de quibus in diplomate agitur, itemque temporis et loci, quo conſcriptum eſſe perhibetur. *Formam* autem habitus tabularum tum externus, tum internus abſoluit.

§. X.

§. X.

Vt vero paullo luculentius de neceſſitate artis diplomaticae conſtet, operae pretium erit, de inſigni diplomatum vtilitate et praeſtantia quaedam praefari. Neſcio vero, an maius vlli ſcientiae praeſidium diplomata adferant, quam hiſtoriae. Aperiunt illa cauſſas rerum veras et genuinas, quas annalium conditores vel ignorant, vel partium ſtudiis abrepti celant. Produnt porro acta pacis et belli, eorumque conſilia et exitus, et quae obſcurius de his omnibus memoriae prodiderunt hiſtorici, mirifice illuſtrant. Accedit denique his, quod diplomata fidem hiſtoriarum et chronicorum, quae ſaepe numero varias ob cauſſas laborat, egregie confirment et tueantur. *

* Quum diplomata ſint acta publico nomine et ſollemniter litteris conſignata; longe maiorem ſane fidem merentur, quam hiſtorici. Quid enim tuto credas priuatae ſortis hominibus, qui intra clauſtrorum ſepta ſqualebant, et ab omni ſcientia et vſu rerum alieni erant, quales eos fuiſſe nouimus, qui annales medio praeſertim aeuo condiderunt. Quis denique eos, ſi omnibus etiam praeſidiis et ornamentis, ad ſcribendam hiſtoriam neceſſariis, inſtructi fuerint, adfectibus tamen, odio et amori obnoxios, vera ſemper ſcribere voluiſſe credat? Nulla autem eiusmodi ſuſpicio in diplomata cadit. Praeclare hoc argumentum tractat vir ſummus, GODOFREDVS GVILIELM. LEIBNITIVS in Praefat. *Codicis iuris gent. diplomat.*

§. XI.

Hinc non ſatis laudanda eſt illorum opera, qui nihil reliqui fecerunt, vt hiſtorias, quas litteris conſignarunt, diplomatibus, veluti luminibus diſtinguerent, eorumque conſenſu omnia, quae dicerent, luculentiſſime firmarent munirentque. Longum catalogum eorum, qui hoc modo praeclare de omni hiſtoria meruerunt, Ill. Dn. DE LVDEWIG in Praefat. *T. I. Reliquiar. MStor.*

§. 39. sq. et Cl. BARING in *Claue diplomatica p. 43.* texuerunt. vid. Ill. BVDERI *progr. de bibl. historica.*

§. XII.

Nec aliunde *genealogia principum*, male alias cohaerens, infinitis erroribus inquinata, et absurdis commentis superstructa, nitori suo et verae dignitati restitui potest, quam ex diplomatibus. Ex his enim eruuntur familiarum origines, earumque nexus, inde intelliguntur Imperatorum, Regum ac Principum series, agnati, propinqui, adfines, aliaque, quae scire in genealogia interest, et alibi frustra quaeruntur, tanto maioris pretii, quanto certius haec omnia constant. *

* Saepe in diplomatibus adiiciuntur parentum, liberorum, fratrum, agnatorum et cognatorum nomina, quod rarius fit apud scriptores. Sic Bertha, Regina Burgundiae et Italiae in diplomate de anno DCCCCLXVI. apud SAM. GVICHENON in *Bibliotheca Sebusiana Centur. I. n. 1. p. 27.* adcurate nobis exponit familiam suam: *Ego* BERTHA, *gratia Dei Regina, primum pro amore Dei, pro amore domini mei* (mariti) *Beati Rodulphi Regis, et pro anima filii mei* BVRCHARDI *Episcopi et eorum, quorum debitores sumus, et* OTHONIS, *gloriosissimi Regis, nec non pro anima filiae meae, Reginae* ADELHEIDAE, *et filiorum meorum* CONRADI, *Serenissimi Regis, et* RODVLPHI *Ducis, et pro me ipsa &c.* Ex quo quantinis pretii diplomate multo plenius restitui potest genealogia Regum Burgundiae, quam eam exhibuit NIC. HIERON. GVNDLINGIVS in *Gundlingian. P. VII. p. 111.* Ex eodem intelligi potest, Mathildem, Abbatissam Quedlinburgensem, Ottonis M. filiam, maternum genus ex stirpe Burgundica duxisse. Mater enim eius non fuit Editha, Britanna, vti vulgo creditur, (de qua vid. SAGITTARIVM *in antiquitt. episcopat. Magdeburg.* p. 13. et GVNDLINGIVM *in comment. de Henrico Aucupe* §. *26 p. 189.*); sed Adelheidis Burgunda, quam Bertha, Rudolphi II. R. Burgundiae coniux diserte filiam suam vocat V. CHRIST. GOTTL. SCHWARZII Diss. *de Mathilde, Abbatissa Quedlinburgensi, aliquando Vicaria imperii, §. 4. 5. sq.* Parentis et patruorum suorum nomina Fridericus II. Imp. in diplomate de anno MCCXX, quod exstat in HVNDII et GEWOLDI *Metropol. Salisburg. T. III. p. 362.* notanter exprimit: FRIDERICVS *Dei*

Dei gratia Rom. Rex etc. confirmantes quidquid . . . et gloriosus pater noster, inuictissimus Imp. HEINRICVS, *et chariſſimus patruus noster* CONRADVS, *illustris Sueuorum Dux - - tradita a patruis nostris* FRIDERICO *et* CONRADO, *Sueuorum Ducibus etc.* Euerardus Comes Foro Iulienſis, liberos ſuos ordine recenſet in teſtamento an. DCCCLXIII. condito hiſce verbis: *Ego in Dei nomine* EVERARDVS *Comes, cum coniuge* GISLA *huius testamentum diuiſionis fieri inter infantes noſtros inſtitui, quorum haec ſunt nomina Unroch, Berengarius, Adalardus, Rodulphus, Engeltrud, Iudith, Heilwich etc.* AVBERT. MIRAEVS in *Codice donat. piarum, Cap. XV.* Ita ex diplomatibus genealogiam Regum Francorum DAVID BLONDELLVS in libro ſub tit. *Genealogiae Francicae plenior aſſertio*; Ducum Sabaudiae SAM. GVICHENON *dans l'hiſtoire genealogique de la royale Maiſon de Savoye*; et Comitum Flandriae OLIVARIVS VREDIVS in *Genealogia Comitum Flandriae* praeclare illuſtrarunt. Vtinam hiſce luminibus quoque vſi eſſent, qui Germaniae principum genealogiam ex inſtituto perpoliuerunt, forſan certiora et meliora de illuſtriſſimarum Germaniae familiarum incrementis et mutationibus haberemus. Sed egregia hac in hiſtoriae parte quoque ſperare licet, poſtquam facem aliis luculentiſſimam praetulit R. P. MARQVARDVS HERGOTT in *Genealogia diplomatica gentis Habspurgicae*, qua potiſſimum vera auguſtiſſimae huius gentis exordia ex diplomatibus ſumma cum cura eruit et illuſtrauit.

§. XIII.

Omnes omnis hiſtoriae rationes conturbatae ſint oportet, niſi peritia temporum ordinentur concinneque digerantur. Quemadmodum igitur incredibilem hiſtoriae vtilitatem diplomata adferunt: (§. VI.) ita dubium non eſt, quin multum ex illis lucis accedat chronologiae, quae ita cum hiſtoria coniuncta eſt, vt haec ſine illa parum ſibi conſtet. * Potiſſimum illa proſunt ad eruendas et reſtituendas temporum rationes, mirum in modum ſaepe turbatas, ad componendas feliciter diſſenſiones ſcriptorum. ** Hi enim non raro temporum ſcientiam negligunt, aut ſane eius temporis, quo aliquid geſtum eſt, adcurate deſignandi rationem inſu-

per habent, et vnam tantum adhibent temporis adnotationem, aeram ſcilicet chriſtianam. Diplomata contra variis vtuntur temporum notis, non ſolum epocha vulgari, ſed etiam annos indictionum exprimunt, diſtingunt ſollicite annos imperii et regni, et diem quoque, quo aliquid actum eſt, diligenter notant.

* Qua de re eleganter GVNDLINGIVS diſſerit, *in praef. Com. de Henr. Aucupe.*

** Exemplis hoc facile iam oſtendi poſſet, niſi id infra data opera demonſtrare animus eſſet. Huc pertinet *Directorium Chronologico-diplomaticum, annorum regni et imperii omnium Regum Germ. et Impp. Romanorum a Pippino R. Franciae vsque ad Carolum VI. Caeſarem Auguſtum, ad vſum computi diplomatici criticum,* quod adornauit vir celeberrimus IO. DAVID KOELER, et MARQ. FREHERI Directorio ſubiecit.

§. XIIII.

Nec parum eſt, quod in geographiam, quam alterum hiſtoriae oculum recte adpellant, ex diplomatibus redundat vtilitatis. Illa praeſertim, quae de media aetate agit, et doctiorum hominum induſtria digna eſt iudicata, *vid.* I. G. BERGER *in memoria Schurzfleiſchii, conf.* S. F. HAHN *progr. auſpic. de medii aeui geographia vberius excolenda;* et magnam habet difficultatem, diplomatum praeſidio certiſſimo ſuperandam. Conf. Ill. BVDERVS *de bibl. diplom. p. 11.* Nemo, hiſtoriarum non plane rudis, ignorat, vtramque paginam in geographia medii aeui facere palatia publica, ſeu curtes regias, villas regias, et pagos, * in quos omnis Germania olim diuiſa erat. Sed vnde nomina, ſitus, conditiones, fata illorum rectius diſces, quam ex diplomatibus? Quum enim Regibus et Imperatoribus germanicis ſollemne fuerit adnotare loca, et nomina villarum publicarum exprimere, in quibus diplomata aliis conceſſa erant: liquido patet, ad illuſtrandam medii aeui geographiam nihil magis,

gis, quam diplomata facere. vid. Cl. GRVPEN *in comm. iur. Saxon. in quo dissertatio de Saxonia in pagis exstat, quae luculentissimis diplomatibus illustrata est.* I. B. LAVENSTEIN specimen geographiae med. aeui diplomat.

* Pagi isti erant tractus regionis seu prouinciae, in quibus plures vici erant. Patria lingua dicebantur *Gowae* seu *Gauen*, vti patet ex nominibus *Rheingau*, *Nordgau*, *Sundgau*, *Brisgau*, *Burgau* aliisque, item *comitatus* more Romano. Singulis pagis praeerant comites, qui principum vice prouincias regebant, et per vicos iura reddebant. v. FRIDR. BRVMMER *de Scabinis Cap. III. §. 13. Cap. IV. §. 2. sq.* De his loquitur vetus Poeta apud LEIBNITIVM *Scriptor. Rer. Brunsuic. Tom. I. p. 121.*

Plebs omnis habebat
Quot pagos, tot paene duces, velut vnius artus
Corporis in diuersa forent hinc inde reuulsi.

Hinc comites promiscue modo iudices, modo comites vocantur. Ita VENANTIVS FORTVNATVS *L. IIII. vita S. Martini* Auitianum, quem antea vocauerat *comitem*, moribus tumidum, postea *iudicem* adpellat:

Iudicis inde feri coniux aegra Auitiani.

De pagis Germaniae antiquis elegantissimo opere egit CHRISTIANVS FRANC. PAVLINI; Saxoniae vtriusque pagos speciatim exposuit HENRICVS MEIBOMIVS *Tom. III. Scriptor. Rer. German.* Palmam vero omnibus praeripuit REV. PRAESVL GOTTWICENSIS L. IIII. CHRONICI, vbi secundum Alphabeti seriem antiquos Germaniae mediae pagos recensuit, eosque in chartis geographicis, ad proborum veterum monimentorum fidem adornatis, distincte repraesentauit. Conf. RVCHENBECKERI *Analecta Hassiaca P. XI.* vbi habetur notitia geographica de pagis Hassiae mediae, et terrarum adiacentium, quae ex Chronico Gottwicensi repetita, et variis obseruationibus illustrata et locupletata est. Possunt praeterea medii aeui geographiam egregie illustrare *Traditiones Corbeienses*, quarum quippe monimenta villas pagosque octoginta et tredecim amplius complectuntur. Sunt quoque in illis varia, quae ad Genealogiam pertinent, certissima nec aliunde cognita momenta, rerum, quae perperam vulgo a scriptoribus etiam sollertissimis traduntur.

§. XV.

Inſignem denique vſum diplomata in doctrina de inſignibus ſeu *arte heraldica* praeſtare, quilibet facile per ſe intelligit. Quum enim ad diplomata vel maxime pertineant ſigilla, in his vero totus Principum habitus accurate exprimatur; palam eſt, ea omnia, quae in armis gentilitiis conſiderare ſolent artis heraldicae magiſtri, inde luculenter poſſe demonſtrari. Sic e ſigillis omnium rectiſſime diſcimus, quando Principes inſignibus vti coeperint, * quibus armis gentilitiis familiae illuſtres ab antiquiſſimis temporibus vſae ſint, quo modo paullatim ſucceſſu temporis immutata, aucta et ornata ſint, et ſenſim hodiernam faciem induerint. Porro illa docent armorum figuras, ſitum et diſpoſitionem; denique vera et genuina emblemata, in ſcutis depingi ſolita, pictorum ingenio ſaepe in alias plane figuras detorta, optime e ſigillis reſtituuntur. **

* Inſignium gentilitiorum originem ab expeditionibus ſacris in Palaeſtinam ſuſceptis, exeunte ſaeculo decimo, repetunt IO. IACOB CHIFFLETIVS in *lil. Franc. verit. illuſtrat. c. VI. p. 44.* Ill. IOANNES GEORG ESTOR in *Analectis Fuldenſibus Obſ. XXVII. p. 76.* aliique. v. GVNDLING *de feud. vexilli §. 26.* Tunc enim Principes in Saracenorum perniciem conſpirantes eiusmodi ſibi inſignia eligebant, vt a ſe inuicem diſtinguerentur. Haec ſententia magnum praeſidium in ſigillis reperit. Nullum enim ſigillum, quod quidem ſuſpicione falſi careat, ſaeculo XI. antiquius reperias, quod inſignia gentilitia praeferat. Hinc ab eo quoque tempore teſſeras gentilitias non amplius mutatas, quod antea moris erat, ſed perpetuo vſu retentas eſſe obſeruamus. vid. IO. MICHAEL HEINECCIVS *de vet. German. ſigill. P. I. c. X. p. 131.* Ill. IVSTVS HENNING. BOEHMERVS in Diſſ. *de varia iurium innouat. per expedit. cruce ſignatorum cap. III. §. V.* V. C. IO. CRAMERVS *de iur. et praerogat. nobilit. auitae cap. V. p. 364.*

** Vulgo exiſtimant, ſertum rutaceum eſſe, quod in Sereniſſimae gentis Saxonicae inſignibus faſciis Ballenſtaedtenſibus ſuperinductum praefulget. Sed aliud plane loquuntur diplomata et ſigilla, incor-

ruptiſ-

ruptiſſimi veritatis teſtes, ex quibus non obſcure colligitur, non rutam, ſed trabem eſſe, quae ſcutum Ballenſtedtenſe oblique tranſit. Sic enim in ſigillo Rudolphi, Ducis Saxoniae e diplomate Dobrilugenſi de ann. MCCCXXVIIII. deſcribitur: *clipeus, qui habet per latitudinem, ſiue per transverſum quinque tractus eleuatos, et quatuor depreſſos, quos cancellat vnus tractus veniens de ſuperiore cornu dextro ipſius clipei.* Comprobatur hoc e ſigillo Wenceslai Electoris, quod in diplomate germanico de anno MCCCLXXXVI. in chartario Dobrilugenſi deſcribitur, vbi haec habentur: *und hat der Mann eynen Schilt uf der lincken Seyten mit Strichin di twere, und mit eyn andern drüber her etc.* Quis ergo dubitet pictorum et ſculptorum ingenio, ad quiduis fingendum nato, trabem illam in rutam transformatam eſſe. conf. B. BVRCARD GOTTHELF STRVVIVS in Diſſ. *de ruta Saxon.* Nec minus luculenter e ſigillis et diplomatibus probari poteſt, crinale ornamentum Agnetis, Rudolphi Habſpurgici Rom. Regis filiae eſſe, quod ſertum rutaceum creditur, a coniuge eius Alberto II. Electore Saxoniae, in honorem, ipſius inſignibus Aſcanio Saxonicis adiectum, quam ſententiam tuetur V. C. FRIDERICVS ZOLLMANNVS in *hiſtoriſcher Unterſuchung des Saechſiſchen geſammten Haupt-Wapens.* *Hactenus beatus Eckhardus*, qui paullo aliter de tota re ſenſiſſet, ſi legere illi licuiſſet *coniecturam* ſagacitatis plenam *viri illuſtr.* CHRIST. GOTTLIEB BVDERI, de inueſtitura Bernhardi Aſcanii, Saxoniae Ducis, per Pileum et ſertum, et de origine Rutae Saxonicae. Probat enim inter alia vir celeberrimus ex ſigillis Lauenburgicis, a Dn. DE MEIERN publicatis, antiquius eſſe illud crinale ornamentum nuptiis Alberti II. cum Agnete coniunctis. Sed plura hic enarrare de Buderi coniectura longum eſſet.

§. XVI.

Fallor, aut antiquitatum ſtudioſus egregios quoque fructus ex diplomatibus capere poteſt. Siue enim ritus * veterum in negotiis, tam ad res diuinas, quam humanas pertinentibus, perſpectos habere cupit; ſiue ſtatum publicum et priuatum Germaniae intueri; ſiue rem militarem, et veſtiariam adcuratius noſſe, e re ſua eſſe ducit: mirifice eius deſiderio ſatisfaciunt diplomata et *ſigilla*, quae omnia, quae ſcire in antiquitate refert, pandunt et recludunt. vid. *Diſcours* über Struvens

vetus *Ius feudale*, in proleg. p. 21. Siue denique stilus antiquior curiae, qualis fuerit, nosse iuuat; eum non aliunde potius, quam ex diplomatibus didiceris. De quo plura notatu digna obseruauit celeb. de LVDEWIG *in comment. ad* B. A. P. I. p. 16.

* Sic ritus, quibus ministeriales, hominum propriorum species, qui mediae seruos inter et genuinos conditionis habebantur, manumissi olim fuerunt, diploma a LVDOVICO IV. Germ. rege, a ↄcccc. datum, luculenter exponit, quod exstat apud GVILLIMANNVM *de rebus Heluet.* L. II. c. 12. conf. PLOENNIS *de ministerialib.* th. 18. vbi aliud diploma de a. CIↃCLXXXXIII. adfertur, ex quo patet, ad ministerialium manumissionem non manumittentis solum, sed et integrae eius familiae, quin et optimorum amicorum consensum requisitum esse.

§. XVII.

Quum historia tantum lumen ex diplomatibus accipiat, et antiquitates ex illis praeclare erui possint, ceu hactenus demonstrauimus: profecto non potest non multum praesidii iuri tam priuato quam publico ex iis accedere. Nemo enim ignorat, iurisprudentiam tam arcte cum omnis aeui historia et antiquitate coniunctam esse, vt, qui has ab illa diuellit, non possit non ad multa caligare. * Exinde luculenter patet, demonstrata diplomatum vtilitate in historia, eo ipso quoque eamdem in iurisprudentia demonstrari.

* Rectissime inde perillustris Fridericianae Academiae Cancellarius IO. PETR. A LVDEWIG in Praef. *iuribus feudorum* praemissa p. 4. ait: *quo magis in historia romana versatus est iureconsultus, eo felicior erit in legum Romanarum aperiendis caussis et sensibus. Idem in patria est verum: quo plus in historia nostra profecit, medii praesertim aeui: eo etiam perfectius iuris tam priuati quam publici et feudalis tractabit argumenta.* vid. V. C. IO. GEORG. CRAMERI Comment. *de coniungend. iuris et antiquitatum german. studio §. 5. et 14.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Vſus diplomatum in iure Germanico priuato ſatis elucet ex eo, quod ex illis I. tot diuerſae Germanicarum gentium conſuetudines, ritus, legesque prouinciales adcuratius, quam ex aliis monimentis hauriri poſſunt; II. egregie iurisprudentia Germanica locupletari poteſt, ſiquidem ſaepiſſime iurium mentionem faciunt, quae alibi fruſtra quaeruntur. III. Produnt diplomata ſtatum perſonarum, dominia rerum, * conuentiones et contractus, ** et ipſam fori conſuetudinem. Ill. PRAESVL GOTTWIC. in *Prodrom. Chronici praef. §. 30.* Perill. Dn. DE LVDEWIG *iur. feudor. praef. §. 1. in notis.* ***

* Diſcimus enim ex diplomatibus, quibus modis traditiones apud Germanos factae, quaeque ſymbola in illis adhibita ſunt, immo ipſas traditionum formulas. Tales ſunt traditiones Fuldenſes, quas primum tribus libris collectas Tomo III. *ſcript. rer. german.* IO. PISTORIVS inſeruit, inſigniter vero locupletatas edidit IO. FRID. SCHANNAT in *Corpore tradition. Fuldenſ.* Huc quoque pertinent traditiones Werthinenſes, quas DAN. PAPEBROCHII beneficio nactus edidit GVILIELM. GODOFR. LEIBNITIVS *ſcript. rer. Brunſu. Tom. I. p. 101.*; Sanct Emmeranenſes, Friſingenſes et Corbeienſes, quae ex codice authentico, et antiquiſſimo, in archiuo imperialis ſemperque liberae Abbatiae Corbeienſis exſtante, erutae, adnotationibusque, quibus recentiorum quorumdam placita circa pagos expenduntur, illuſtratae ſunt, cura IO. FRID. FALCKEN. Ex his ſimilibusque praeclare illuſtrari poteſt iurisprudentia Germanorum ſymbolica, quam ex inſtituto perpoliuerunt doctiſſimi ICti EV. OTTO in *iurisprudent. ſymbolica*, IO. GOTTFRIED SCHAVMBVRG in Diſſ. *de traditione ſymbol.*, et IO. GVIL. HOFFMANN in Diſſ. *de iurisprudent. veterum German. ſymbol.* Singulare quoque eſt, quod ſigna traditionis non ſolum adcurate in chartis deſcripta, ſed etiam ipſae traditionis rite factae teſſerae, veluti feſtucae, ligni fruſtula, numi, baculi, corrigiae illis adſutae ſint, ne eius vmquam periret memoria. Exempla huius moris attulit IO. MABILLON *Actis S. S. ord. Benedict. T. IV.* in *vita Fulradi Abbatis n. 19.* V. CAROLVS DV FRESNE *Gloſſar. lat. Tom. II. pag. 104.* conf. HOFFMANNI *Diſſ. de iurispr. ſymbolic. §. 28. p. 31.*

** Vti apud Germanos dotem non vxor marito, sed vxori maritus adferebat, teste TACITO de *moribus Germanor. c. 18.*: ita quoque luculenter diplomata vetera docent, ritum hunc diu in Germania seruatum esse. veluti Henrici Aucupis, apud MADERVM in *Antiquitat. Brunsuicens. p. 102.* et KETTNERVM in *Antiquit. Quedlinburgens. n. 1.*, Ottonis II. apud LEVCKFELD *Antiqu. Poeldens. p. 2-8.*, Richardi, Ducis Normannorum ap. LVC. D'ACHERY *Tom. VII. Spicileg. p. 204.* vt praetermittam alia exempla, quae habent LEIBNITIVS in *Cod. iur. Gent. diplom. T. I.* et MIRAEVS in *Codice donationum piarum. cap. 99. p. 106.*, in quibus omnibus mariti vxoribus dotem constituunt. Tanto maioris quoque pretii illa sunt, quod clarissime loquuntur, quae tropica sensim instituerit ius Rom. Obseruamus enim, dotem illam maritalem, seu dotalitium, quod cum illa conuenit, *donationem propter nuptias* vocari, v. g. in diplomate Alberti I. Imp. apud LEIBNITIVM *Cod. diplom. T. I. p. 43.* Henrici Rasponis de a. MCCX, quod ex BVTKENII *Trophaeis Brabant.* adduxit GVNDLING de *emt. vxor. cap. 2. §. 23.* luculentissimo argumento, adcommodatum hoc esse iuris rom. principiis, ex quibus non dotis, sed donationis propter nuptias nomen illi, quod maritus vxori offert, conuenit. Ita omnia iuris rom. laciniis infecta sunt, et tenebrae obductae nobilissimae de dote doctrinae, quae vix sibi constat, nisi consulas diplomata, quorum luminibus argumentum hoc illustrarunt magni nominis ICti IO. PETR. DE LVDEWIG in Diss. *de dote mariti* NIC. HIER. GVNDLING de *emtione vxorum* et IVSTVS HENNING. BOEHMERVS in Diss. *de secundis nupt. personar. illustr.* Praeterea diplomata luculenter definiunt, quomodo dotalitia constituta sint vel generatim, nulla adiecta temporis mentione, vel ad dies vitae, vel ad viduitatis statum restricta, qualia exempla permulta collegit vir illustris IO. GEORG ESTOR in Diss. *an dotalit. cesset propter secund. nupt. cap. 4. sq.* quae in illustri hac quaestione rite decidenda vtramque paginam facere nemo non intelligit. Mathildis loca dotis nomine ab Henrico I. marito accepta post eius mortem vidua amittebat, teste *auctore vitae Mathild. c. III. §. 14.* v. HEVMANNI obseru. de imperatore mortuo p. 63.

*** Nec praetermittendum est, diplomatibus acceptum ferendum esse, quod rectius, quam olim creditum est, iam nobis constet, quo tempore iuris rom. in Germ. vsus inualuerit. Etenim formulae in diplomatibus occurrentes, quibus Germani beneficiis et exceptionibus iuris ciu. et canon. renunciarunt, satis superque probant, in ipso foro rationem habitam esse vtriusque iuris, ad cuius normam actus ciuiles

ciuiles componebantur. Tales vero iam inde a saeculo XII. in chartis germ. obseruantur, quas studiose collegerunt HERTIVS de *consultat. legibus et iudic.* §. 14. STRVVIVS *Histor. iur. c. VI. §. 30. p. 529. sq.* Ill. BOEHMERVS *T. I. iur. eccles. Protest. T. II.* §. 48. *sq.* Ill. HEINECCIVS in *Histor. iur. cap. 3.* §. *62. sq.* et qui maiori illas protulit adparatu, vir doctissimus mihique amicissimus CHRISTIANVS GOTTL. RICCIVS in *spicilegio historico diplomatico de vsu iuris Iustinianei saec. 13. et 14.* Vid. Dn. DREYER de vsu iuris Anglo Saxon. in explicando iure Cimbr., vbi contra Riccii sententiam quaedam adfert. Vnde facile condonandus est error CONRINGIO et THOMASIO, saeculo XV. demum ius Rom. in Germ. penetrasse existimantibus, quum notitiam illorum fugerent diplomata, ex quibus rectius edoceri potuissent, quem vero hodie cuiquam condonari nefas est.

§. XVIIII.

Inter iuris feudalis Germanici praesidia primum locum diplomata iure meritoque sibi vindicant. Praeterquam enim quod litterae clientelares, * quae essentialia, naturalia et accidentalia feudorum definiunt, Ill. ESTOR *Obseruat. iur. feudal. XII.*, ideoque vtramque paginam in decidendis caussis feudalibus faciunt, ad diplomata vel maxime pertinent; ** origines, natura, consuetudines feudorum genuinae, et cuiuis prouinciae propriae ex diplomatibus eruuntur. Porro illa exponunt statum rei feudalis in Germ., iura Imperatorum circa feuda imperii, et nexum Principum beneficiarium erga imperium declarant, et antiquitates feudales egregie illustrant. *** Vt iam praetermittam statum reipublicae Germ. militarem, ex quo complura iuris feudalis principia deriuanda, ex iisdem luculenter cognosci (§. XII.). conf. Ill. de WESTPHALEN meditatio pragmatica de fatis atque vsu studii iuris feudalis in Germ. itemque Ill. SENCKENBERGII prodromus iuris feudal.

* De antiquitate litterarum clientelarium conf. Ill. CHRIST. GOTTL. BVDERI *amoenitates feud. p. 133.*, vbi antiquissimis temporibus nullas plane litteras clientelares datas et concessas fuisse ostendit, Ill. IO. GEORG. ESTOR in diss. de symbolica inuestitura, et inuestitura sine litteris inuestitur. et Dn. DE LVDEWIG in iure clientelari p. 23.

** Inde tam manifesta est artis diplomaticae necessitas in iure feudali, vt euidentior esse non possit. Quum enim antiquiores litterae clientelares primum inspiciendae sint, si controuersia feudalis decidenda, et praeferendae recentioribus: frustra is erit in illis interpretandis, qui in numerato non habet praecepta illas legendi, et egregie sibi imponet, si artem veras a falsis secernendi ignorat.

*** Quamprimum intellectum est, iuris Longobardici decreta plane aduersa esse feudis Germ., hisque non sine summo vasallorum detrimento adplicari posse: nihil reliqui fecerunt viri praestantissimi, vt chartas, diplomata, aliaque veteris aeui monimenta conquirerent, et in lucem proferrent, ex quibus genuinum ius feudale Germanicum restitueretur. In colligendis eiusmodi litteris clientelaribus egregiam operam posuerunt IO. CHRISTIANVS LÜNIGIVS, qui in *Corpore iuris feudalis germanici, et Codice Italiae diplomatico* ingentem illarum farraginem congessit, IO. FRID. SCHANNAT in *Clientela Fuldensi*, Ill. IO. GEORG ESTOR in *Opusculis minoribus*, HENR. CHRISTIANVS SENCKENBERG in *selectis iuris et historiarum*, qui maiori selectu ac ordine, quam LÜNIGIVS sese commendant. Ita qui hodienum praeclare de hac iurisprudentiae parte merentur DE LVDEWIG, DE WESTPHALEN, ESTOR, BVDERVS, KOPPIVS, SENCKENBERGIVS, BVRI, aliique leges et mores feudales et selectissimas quasque obseruationes repetunt ex diplomatibus, iisque tamquam clarissimis luminibus ius feudale illustrant.

§. XX.

Quod si ius publicum particulare ex forma cuiusque rei publicae, et eius legibus fundamentalibus deriuandum est: maximus quoque vsus diplomatum hic sese exserit. In iure Germaniae publico multum profecto interest, inspicere diplomata, * in quibus tam bene expressa est genuina imperii Germanici facies, vt eam velut in speculo limpidissimo intueri queas. Non igno-

ignorare nos patiuntur, quae fuerint iura et poteſtas Imperatoris, quae ſtatuum Imperii. Denique rationes territoriorum et mutationes ſtatus publici, ex quibus in eam tandem, qua iam regitur, formulam conuerſa eſt Germania, diſtinc̃te cognoſcere licet. Accedit, quod primarium iuris publici noſtri fundamentum ſit vſus et obſeruantia, quae factis nititur, adeoque ex monimentis fide dignis, actis publicis et diplomatibus eruenda et illuſtranda. **

* Dn. DE LVDEWIG in *Praef. ad ſingular. iur. publ. §. VII.* „Principio facile intellexi, iuris publ. Germ. rationes genuinas in tanta„ legum publicarum paucitate et tenebris requirendas praecipue ex„ hiſtoria et rebus medii aeui. Hanc autem in ſcriptoribus noſtris eſſe„ admodum fallacem ac mancam. Quod horum plerique monachi,„ clerici, ciuilium rerum ignari prorſus. Qui etſi fabulae abſint, tamen„ nobis produnt fere nihil, quam clades, incendia, bella, cauſſis nul„ lis vel indicatis vel aeſtimatis recto iudicio. Igitur iuris publici in„ Germ. conſulto opus eſſe, cogitare de firmioribus hiſtoriae praeſi-„ diis. Atque haec demum requirenda ex Impp. pontificum, princi-„ pum codicillis et diplomatibus plenae fidei. Haec enim ſunt docu-„ menta veritatis limpidiſſima: haec iura publica produnt: haec de-„ nique faciem reipubl. ita depingunt, vt forma eius facile inde ae-„ ſtimari queat.„ v. BOEHMERI *Orat. ſaecul. de merit. Aug. confeſſ. in rem iurid. p. 35.*

** Similiter ius gentium conſuetudinarium et pactitium ex diplomatibus repetendum et ſtabiliendum eſt. Tabulae enim publicae, ex quibus iura per pacta inter gentes determinata intelliguntur, ſunt diplomata, quo pertinent IO. DV MONT *Corps univerſel diplomatique du Droit des Gens, ou Recueil des traites de paix etc.* GODOFR. GVILIELMI LEIBNITII *Codex iuris gentium diplomaticus*, et *Mantiſſa Codicis iuris gent. diplomatici.* Hinc diplomaticum ſtudium iuris publici cultori diſertiſſimis verbis commendant maximi nominis viri IO. PETR. A LVDEWIG in Praef. *T. I. Reliquiar. MStor.* IO. IAC. MASCOV in *Princip. iur. publ. I. R. G. L. 1. c. 6. §. 14.* et IO. IAC. MOSER in *teutſchen Staats-Recht P. II. L. I. c. XXXIII. et c. XXXVIII.* rati, quod res eſt, origines, progreſſionem, rationes et principia iuris publici ope diplomatum optime addiſci poſſe. V. C. HENR. GOTTLIEB FRANCKE in

Notitia subsid. iur. publ. Comment. P. R. VITRIARII *de adminiculis iuris publ. praemissa §. III. et V.* Sic memoriam iuris publ. Germ. certi ex diplomatibus eruit vir clarissimus et rerum patriarum adprime doctus CHRISTIAN. GOTTL. HALTAVS in dissertatione elegantissima de *iure publ. certo Germ. medii aeui.* Idem dicendum est de iuribus Germ. publicis specialissimis, quae nexum Principum germ. et ordinum prouincialium declarant. Tanto elegantius et perfectius est ius publicum Hassiacum, perpolitum a viro meritis et doctrinae fama illustri IO. GEORGIO ESTORE, in *Originibus iuris publ. Hassiaci* et in Commentat. de *iure publ. Hassiaco nouissimo*, quod ex diplomatibus deductum et mirifice illustratum est. Ius publicum particulare Aepiscopatus et Electoratus ex diplomatibus egregie illustrauit Auctor historiae Treuirens. diplomat. Vtinam similem operam alii nauarent rebus iuribusque patriae, eaque ex hisce fontibus, omni exceptione maioribus, repetita in luce collocarent.

§. XXI.

Nec plane nullum vsum esse diplomatum in iurisprudentia ecclesiastica tam publica, quam priuata, satis adparet ex eo, quod illa ad statum ecclesiae adcommodata sit. Hinc eo penitius rationes iuris ecclesiastici inspicies, quo diligentius consulueris diplomata, quae statum ecclesiae, eiusque regimen, iura Imperatorum et Principum circa sacra liquido produnt. Quis nescit, maximam diplomatum partem referre fundationes ecclesiarum, quae origines, historiam, faciem, libertatem, et iura illarum, posteritati omni clarissime commemorant? * Quin et ius ecclesiasticum prouinciale ex diplomatibus patriae insigne lumen accipere, satis superque a viris doctissimis demonstratum est. **

* Locus hic est *Germaniae sacrae*, cuius primus felicissimus scrutator est incomparabilis ICtus IO. SCHILTERVS in reconditae doctrinae opere de *libertate ecclesiarum Germaniae*, Ienae anno CIↃIↃCLXXXIII. edito. Excoluerunt eam P. MARCVS HANSIZIVS, IOSEPH. MEZGERVS, WIGVLEVS HVNDIVS et CHRISTOPH. GEWOLDVS, NIC. SCHATENIVS, illustrissimus FERDINANDVS A FVRSTENBERG, IO. HENR. A FALCKENSTEIN, IO. PETR.

IO. PETR. A LVDEWIG, IO. GEORG. AB ECKHART, IO. CHRISTIANVS LVNIGIVS, IO. FRIDER. SCHANNAT aliique, quos laudat litteratissimus BARING, in *Claue diplomat.* inter scriptores rei diplomaticae p. 44. sq. Sed nondum pro dignitate argumenti illustrata est Germania sacra; ideoque post largam laudatissimorum virorum messem satis magnum spicilegium aliorum industriae relictum est.

** Vid. Ill. IO. GEORG. ESTOR in *Origin. iuris publ. Hass. Cap. VI.* vbi de iuribus Henrici I. Hassiae Landgrauii, circa sacra luculenter disserit, eaque ex prisci aeui monimentis ineditis illustrat. SIMON FRIDER. HAHN in *Obseruat. iuris publ. medii aeui §. VIII.* Semper enim viguit summorum imperii nostri Principum potestas in sacris, magno licet impetu a Romanae sedis Praesulibus oppugnata. Specimina summae potestatis, quam in sacris habuit Henricus Leo, Dux Boioariae et Saxoniae, satis luculenta ex instituto collegit venerandus post fata parens TOB. ECKHARDVS *de Henrici Leonis circa sacra auctoritate §. XIV. et XXXI.*, vbi ex diplomatibus, quae ex MADERI *Antiquit. Brunsuicens. p. 121. et p. 135.* adducit, Henricum Leonem ius inuestiendi episcopos, episcopatus et ecclesias instituendi et transferendi exercuisse ostendit. Quidni ergo alia iuris ecclesiastici argumenta ex chartis egregie illustrari possint?

§. XXII.

Quum itaque tam late pateat vsus diplomatum, vt nulla fere pars sit vel historiae vel iurisprudentiae, quae non inde aliquid vel lucis, vel ornamenti capiat: * ratio omnino constat dictis IO. MABILLONII *L. I. de re diplomatica cap. I. §. 1.* IO. NIC. HERTII de *fide diplomatum p. 1.* et perillustris IO. PETRI DE LVDEWIG in Praef. *T. I. Reliquiar. MStor. §. 35. a fide diplomatum non priuatorum solum, sed et ecclesiarum fortunas et iura in integras regiones et principatus pendere.* Id quod et inde luculentissimo argumento efficitur, quod de diplomatum ratione genuina in ipsis summis imperii tribunalibus magna animorum concitatione disputatum est. (§. III.)

* Adpo-

* Adposite iuxta et eleganter rem exprimit perillustris ERNESTVS IOACH. DE WESTPHALEN in *Praef. Specimini documentor. ineditor. Mecklenburgens.* praemissa. *Diplomaticum*, inquit, *studium historias reserat, doctrinas iuris priuati et publici limat, Principum iura a neglectu et insultu maleuolorum vindicat, prouincialia negotia in ordinem collocat, et si quid magis in vtilitatem iurisprudentiae et historiae exspectari poterit, exequitur, quin superat quam manifesto.*

§. XXIII.

Quantamcunque vero vtilitatem diplomata habeant; parum tamen illa profuerint, nisi falsa a genuinis discernantur, quia illa nihil probant, et tamen vbique veris permixta sunt (§. II. et III.). Artem igitur diplomaticam ICtis commendatissimam esse debere, prudenter monent BOEHMERVS *in iure ecclesiastic. L. I. T. III. §. 18* et WALDSCHMID *de probat. per diplomat. p. 21.* Egregie autem falluntur, qui, si titulum digestorum et decretalium de *fide instrumentorum* per transennam modo inspexerint, aut ieiunas interpretum in illa iuris capita commentationes deuorarint, se commode rei diplomaticae studio carere posse sibi aliisque persuadent. Tantum enim abest, vt hoc ad rei summam sufficiat, vt eius caussa ne digitum quidem porrigendum existimem. *

* Tanta enim interpretum est incuria, vt non solum, quum tamen possint, non excurrant in hoc argumentum, si titulum hunc enarrant, sed etiam, quum se sponte quasi de eo dicendi occasio offert, illud non attingant. Exemplo esse potest egregium *Cap. VI. X. de fide instrumentorum*, in quo elegantissimum rei diplomaticae specimen proponitur. Summa eius haec est. Lis erat inter Archiepiscopum Mediolanensem et Abbatem S. Donati de Scozula, qui pro caussa sua proferebat priuilegium Luithardi comitis, et episcopi Lucani, et alia Imperatorum Romanorum, praesertim Henrici diplomata. Sed haec tam eleganter ex rei diplomaticae regulis sub censuram vocauit, et falsi conuicit procurator Mediolanensis, vt secundum hunc Innocentius III. P. R. litem dare non dubitauerit. Primo enim in Luithardi diplomate externa perstringit, in quibus va-

rias obſeruat falſitatis notas: adnotationem temporis omiſſam, ſigillum ſpurium eſſe oſtendit, eo, quod non recte adpoſitum ſit, ſpuriam repraeſentet figuram, eiusque inſcriptio fraudem redoleat. Ad interna pertinet, quod eidem obiicit, ſcripturam eius recentiorem eſſe, quam vt aetatem, qua ſcriptum ſit, ferre poſſit. Alterum diploma, inſtrumentum ſcilicet ſententiae, in fraudis ſuſpicionem adducit ideo, quod ſubſcriptio notarii ab alterius manu ſit, quam ſubſcriptio inſtrumenti, quum tamen notarius in ſubſcriptione profeſſus ſit, inſtrumentum manu propria a ſe conſcriptum eſſe: ſcripturam charta recentiorem eſſe, et aquam videri encauſtum infectum, vt antiquius adpareret. Nemo non videt, ad illuſtrandum hocce caput egregia rei diplomaticae praecepta adſpergere hic potuiſſe, quotquot in hunc titulum commentati ſunt, niſi laeua illis mens fuiſſet, et aliud plane agere maluiſſent.

§. XXIIII.

Intereſt quoque rei diplomaticae ſtudioſi, ſcire et conſulere praeſidia, quae tam ad intelligenda diplomata, quam ad rectius de iis iudicium ferendum pertineant. Quemadmodum omnes fere litterarum diſciplinae ita inter ſe coniunctae ſunt, vt mutuam altera alteri opem ferat, et amice conſpiret: ita quoque hiſtoria, chronologia, genealogia, geographia, ars inſignium, iuris tam publici, quam priuati, feudalis, et eccleſiaſtici ſcientia, quas omnes eruditionis partes ex diplomatibus inſigniter illuſtrari diximus, multum praeſidii et adiumenti artis criticae medii aeui ſtudioſo adferunt. Quos enim impoſtores non deprehenderis in ipſis tabularum partibus, vtpote quas callide admodum imitando expreſſerunt; eos facilius agnoueris ex eo, quod falſi ſint, aut in iure publico et priuato, aut in eccleſiaſtica diſciplina, aut hiſtoriae et chronologiae contraria commentis ſuis inſeruerint. *

* Ita diploma Lindauienſe non pauca habet, fatente ipſo HERM. CONRINGIO in *Cenſura diplom. Lindau. cap. V. p. 71.* quae cum genuinis Ludouici Pii diplomatis conueniunt, veluti ſcripturae ratio-

nem, sigilli formam, formulas initiales, et subscribendi, aliaque, quae omnia ex sincero diplomate decerpta sunt. At multo plura habet, quae iuri publico eius aeui, et rerum gestarum memoriae plane aduersantur. Meminit ducis, in sensu scilicet ciuili, aeuo illo inauditi, praesertim in Alemannia, quam Conradi I. aetate nondum in Ducatum redactam fuisse, sed fisco regio paruisse, diserte testatur ECKHARDVS de *Casibus S. Galli cap. I.* Fingit subaduocatos, quos saeculo Carolino longe recentiores esse, adcurate demonstrarunt IO. NIC. HERTIVS in *Notit. regni Francor. Cap. V. §. XIX. de fide diplomat. sect. I. §. XII.* et CHRISTIAN. FRID. PAVLLINI de *Aduocatis monasticis* §. *IX. p. 541.* Meminit Rhabani, ecclesiae Moguntinae metropolitae, (de quo exstat differt. praes. BVDDEO habita Ienae) quem tamen octo annis post diploma datum Moguntinae demum sedi a Ludouico Germanico praefectum esse, historiarum annales testantur. Quin Metropolitae vocabulum in nullo diplomate Ludouiciani aeui occurrit, nec a priuato scriptore et Hincmaro in *opusculis* et *epistolis* eius mentio fit, sed semper Archiepiscopi nomen adhibetur. v. WEGELIN *de Praerogat. ciuit. Lindau. prae Coenobio p. 246.* Lindaugiae nomen contra monimentorum fidem insulae tribuit. Insula enim haec Lindowa, siue Lintouua in saeculi IX. monimentis vocatur. Lacus Bodamicus, in quo coenobium situm est, nunquam Withse vocatur, quae vox neque in Cancellaria Regum Francorum, neque a scriptoribus saeculi IX. et X. vsurpata est. v. IO. CHRISTOPH. WEGELIN *de dominio maris Sueuici p. 13.* vti in diplomate, a scriptoribus saeculi IX. adpellatur, sed *lacus Brigantinus* vel *Potamicus*. Superior Lacus pars comparata inferiori parti dicta est ab accolis Withsee, i. e. der weite oder breite See. Quae aliaque *παρεγματα*, clarissima et inuicta falsi argumenta, obseruarunt viri historiarum iuriumque patriae peritissimi DAN. HEIDERVS in *gründlicher Ausführung der Stadt Lindau etc.* HERM. CONRINGIVS in *Censura diplomat. Lindau.* WILH. ERNESTVS TENZELIVS in *Historicis vindiciis pro H. Conringii censura in diploma Lindau.*, et qui hodienum de reipublicae Lindauiensis commodis praeclare meretur, doctissimus IO. REINH. WEGELINVS de *Ciuitatis Lindauiensis praerogatiua antiquitatis prae illustri ad D. Virginem coenobio.* Ita quoque C. S. SCHVRZFLEISCHIVS diplomatum fidem ad calculos reuocabat, omnique ratione circumspiciebat, de quibusdam dubitabat, aliqua sine vlla dubitatione reiiciebat, vt istud, quod vulgo Ludouico, Ludouici pii filio attribuitur, in quo tot prope naeuos, tot falsi argumenta, quot verba deprehendebat, propterea, quod Ludouicus ille numquam fuerit imperator,

tor, et tamen imperator in diplomate nominetur; quod numeri insint, illi faeculo ignoti, dicendi genera adhibeantur, prorsus inusitata, ac sic adfecta certe, vt et vsui ciuili, et indoli illius saeculi omnino repugnent. vid. IO. GVIL. DE BERGER in *memoria Schurzfleischii* p. 152. sq.

§. XXV.

Porro non vtilis tantum, sed plane necessaria est *latinitatis*, itemque *linguae teutonicae medii aeui* cognitio. * Qui enim diplomata intelligere potest, latino barbara et germanica lingua scripta, eius ignarus? quomodo is scire, num latinae aut germanicae linguae stilus aetati, quam diploma praefert, proprius sit, nec ne? Omni proinde pretio dignissima sunt Glossaria mediae et infimae latinitatis, Germanica, Anglo Saxonica, Francica, Allemannica, quae dederunt CAROLVS DV FRESNE, IO. GEORG. WACHTERVS, IO. SCHILTERVS in *Tomo III. Thesauri antiquitat. teutonicarum*, GEORG. HICKESIVS, HENR. SPELMANNVS, GVIL. SOMNERVS, CASP. BARTHIVS, aliique.

* GVILLIMANNVS Conradi II. de expeditione Rom. diploma Ciceronem imitari putauit, in Comment. de huius Imperatoris origine, et verba, quae non capiebat, immutauit, meliora, quae sibi videbantur, ex ingenio substituit, atque ita plane egit, vt diploma hoc in ipso diplomate quaeras. v. Dn. SENCKENBERG prodromo iuris feudal. *§.* 1.

§. XXVI.

Quum origines vocum ipsas notiones recludunt, naturam et argumenta rerum exponunt: non negligendum est *studium* etymologicum, de cuius *vsu et praestantia* itemque *historia* praeclare disseruit IO. GVIL. BERGER *in praef. diss. academicis praemissa*, et IO. GEORG. ECCARDVS, qui et ingenium, ad res etymologicas ornandas aptum, satis ostendit in *Catechesi Theotisca* cum versione et notis edita, et in *Commentario ad*

legem Salicam et Ripuariorum, in quibus feliciſſime multarum Teutonicarum vocum origines et cognationes enodantur. Adde GODOFR. GVIL. LEIBNITII *Collectanea etymologica*, et perilluſtris IOACH. ERNESTI DE WESTPHALEN *Bibliothecam etymologicam*, quam ſubiecit *ſpecimini Monumentor. ineditor. Mecklenburgenſ.*

§. XXVII.

Egregie quoque ſibi conſulit rei diplomaticae ſtudioſus, ſi ſcripta virorum, artis huius intelligentiſſimorum, et ea, quae in bellis diplomaticis in lucem emiſſa ſunt, quanta poteſt cura, conquirit, et diurna nocturnaque manu verſat. Ex his enim diſcere poteſt notas, quae a partibus in iudiciis allegatae ſunt ad demonſtrandam vel fidem, vel fraudem diplomatum; in illis vero ſelectiſſimas quasque obſeruationes, quibus varia rei diplomaticae capita illuſtrantur, reperiet. Inter illa, quae huc pertinent, potiora ſunt IO. MABILLONII, HERM. CONRINGII, NIC. ZYLLESII, IO. NIC. HERTII, IO. PETRI DE LVDEWIG, IO. GEORG. AB ECKHART, IO. FRID. SHANNAT, SIMON FRID. HAHNII, IO. GODOFR. DE MEIERN, IO. IAC. MOSERI, DAN. HEIDERI, IO. REINH. WEGELINI. POLYC. LEYSERI aliorumque. V. C. BARING in *Claue diplomat.* de ſcriptor. rei diplomat.

§. XXVIII.

Nihil denique praeceptis rei diplomaticae probe imbuto reliqui faciendum eſt, vt faciles aditus ad Principum tabularia, bene inſtructa, habeat, et ipſa diplomatum *αὐτόγραφα* cum cura inſpicere et excutere poſſit. Multum, vti in aliis omnibus, hic quoque valet vſus

vſus et experientia, cui ratio et conformatio accedit doctrinae; et aſſidua membranarum lectione tractationeque tale ſaepe acumen comparatur, quod vix regulis adquiri poteſt.



SECTIO PRIMA
DE
ARTE DIPLOMATICA GENERATIM
AVCTORITATE FATIS ET MATERIA DIPLOMATVM.

CAPVT I.
DE
REGVLIS ARTIS DIPLOMATICAE EARVMQVE FVNDAMENTO.

§. I.

REGVLAE, quae in examine diplomatum ſunt obſeruandae, dicuntur *diplomaticae*. Hinc *ars diplomatica* eſt complexus regularum, quae in examine diplomatum obſeruandae ſunt. *

* Quidquid regulis continetur, recte dicitur ars. Vix ergo excuſanda videtur verecundia et religio neſcio quae, eorum, qui regulas diplomaticas libris ſuis complexi ſunt, et artis nomine abſtinuerunt. Licet enim leges, quibus res diplomatica regitur, non ſint immutabiles et neceſſariae, vti leges phyſicae, mechanicae, et aliae eius generis: tam diu tamen pro illis ſtandum eſt, donec nouis excitatis iudiciis nouae conficiendae ſint. Vtcunque itaque res cadat, regula adeſt.

§. II.

Fundamentum regularum diplomaticarum eſt exiſtentia diplomatum genuinorum, quam demonſtrauimus §. XI. Prooem. Quia vero his quaedam ineſſe de-

bent, quae illis propria sunt, vnde agnoscantur, et ab aliis discernantur; palam fit, sincera diplomata per notas determinari. *

* Optandum igitur esset, vt diplomatum omnium, quae supersunt, catalogus ederetur, vnde diplomaticae artis regulae et praecepta possent depromi. Tale consilium animo agitauit IO. MABILLONIVS, teste HERTIO *de fide diplomatum*. Sed vtile quoque esset, sinceris et genuinis diplomatibus spuria et supposititia addere, vt, collatione facta, de fide legitimorum eo accuratius iudicari posset. vid. Ill. BVDERI *progr. de biblioth. diplomat.*

§. III.

Cognitis vero notis diplomatum legitimorum, spuria facile designari possunt. Quum enim spuria incorruptis opposita sint; non possunt non carere notis illis, per quas genuina determinantur. Hinc si diploma destitutum sit notis, ex quibus genuina intelliguntur, aut contraria illis contineat, recte illud falsis adnumeratur.

§. IIII.

Regulae ergo diplomaticae deriuantur ex diplomatibus genuinis, et notas continent, quibus vera et falsa diplomata cognoscuntur. Notae autem eruuntur, si omnia cuiusuis auctoris et saeculi diplomata adcurate et diligenter examinantur, eademque inter se, tam quoad interna, quam quoad externa comparantur. *

* Antiquitatem litterarum comparationis apud Germanos ostendit HAVSHILD *in der Gerichts-Verfassung der alten Teutschen v. index b. v.* conf. CONRADI parerga p. 443.

§. V.

Ex his porro intelligitur I. falsa et supposititia diplomata normam, ad quam alia exigantur, non constituere; II. nec vno alteroue modo excusso, regulas confici posse. * Omnia itaque prius consulenda sunt, quae ab

ab vno Imp. profecta sunt, quam regulae effingantur, ea scilicet, quae circumferuntur, quaeque haberi possunt.

* Vagae proinde, ambiguae et periculosae erant regulae a DANIELE PAPEBROCHIO in *Propylaeo circa veri et falsi discrimen in vetustis membranis T. II. Actor. SS. mensis Aprilis* propositae, quippe nec magno numero, nec optimae fidei diplomatibus adhibitis scriptae, quas merito ideo profligauit vir summus IO. MABILLON in libris *de re diplomatica*.

§. VI.

Quumque ex diplomatibus genuinis et sinceris, summa cum cura inter se collatis, notae et regulae deriuentur (§. v.): sequitur, vt, quae in omnibus partibus, internis et externis conspirant diplomata, vera et legitima habeantur; quae vero ab illis discrepant, commentitiis accensenda sint, donec contrarium probetur. *

* Fieri quidem potest, vt diploma Imperatoris cuiusdam re vera sincerum sit, licet non omnes legitimi characteres habeat, et v. g. formulam: *in Dei nomine amen* in fronte gerat, quum reliqua omnia, quae ab isto Imp. profecta sint, hanc *in nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis* praeferant. Sed hoc regulae fraudi esse nequit, et potius ad exceptiones referendum est. Itaque non corruit regula Reu. Praesulis Gottwicensis, obseruantis, in Conradinis diplomatibus non occurrere nomen vxoris Conradi I., siquidem nulla eius mentio in aliis diplomatibus ab hoc Imp. profectis fiat, ob locum, quem eam infirmandi caussa ex annalibus Laureshamensibus vir doctissimus IO. GVIL. HOFFMANN in Orat. de *lubrico artis diplomat. p. 41.* adfert, qui sic se habet: *Regis Cunradi vxor Chunegunda locum proprietatis suae Ginga appellatum cum omni iure regalique praecepto S. Nazario tradidit.* Quod si enim ex his verbis colligi posset, quod contendit vir laudatissimus, exstitisse diploma Conradi Regis, in quo vxorem suam laudauerit: nondum tamen falleret regula, quippe quae vno contrario exemplo non euertitur. Sed plane locus iste huc non quadrat, quia non ipsius Conradi I., sed eius vxoris Cunegundae praeceptum seu diploma tantum commemoratur.

§. VII.

§. VII.

Verum hic intercedunt ſceptici, et praecipue BARTHOL. GERMON *de veter. Regum Francor. diplom. P. I. c. III. p. 39.* et inſtrumentum, in quo omnia recte ſe habeant, cuiusque falſitas nullis ſe indiciis prodat, recte quidem falſis non adnumerari, ſed etiam non item verum habendum eſſe, contendunt, quia veritas eius certis argumentis demonſtrari nequeat. At praeclare iam animaduertit IO. MABILLON *Supplem. ad libros de re diplomat. c. I.* nullum hic locum eſſe demonſtrationibus mathematicis, quae ſi in factis exigantur, ilicet, actum eſt de omni hiſtoria et antiquitate, et omnia in Pyrrhoniſmum abeunt. *

* Iure quoque noſtro certiſſimum eſt, et aperte conſtitutum, ſincera et legitima ea inſtrumenta reputari, quorum falſitas nullis argumentis probari poſſit. Mirum itaque eſt, eiusmodi pyrrhonicis ſententiis tantopere fauere potuiſſe virum eximium et longiori vita digniſſimum, IO. GVIL. HOFFMANNVM, in elegantiſſima oratione de *lubrico artis diplomaticae*, quae prodiit Vitembergae anno CIƆIƆCCXXXVII.

§. VIII.

Notae, quibus vera diplomata a falſis diſcernuntur, ab internis et externis diplomatum deſumuntur. Hinc in examine diplomatum ſpectanda eſt exterior eorum ſpecies et interior. vid. IO. NIC. HERT. *de fide diplomat. Sect. I. §. 1.* CHRON. GOTTWIC. *L. II. c. I. §. 1.*

§. VIIII.

Externa diplomatum ſpecies eſt in *circa litterarum ductibus*, *ſcripturae ratione*, *figuris monogrammatum*, *forma ſigillorum, eorumque imaginibus et inſcriptionibus.* Interna conſiſtit in *formulis*, *quae diplomatibus praemitti ſolent*, *et preces*, *nomina*, *titulos Imperatorum vel Regum*

continent,

continent, ſubſcriptionibus Principum vel Cancellariorum, aut qui ipſorum vice relegerunt; adnotationibus loci et temporis, indictionibus aliisque notis chronologicis. *

* Vnde proprie ad artem diplomaticam non pertinet, ſi inde detegitur falſitas diplomatis, quod in eo aliquid reperiatur aduerſum fidei hiſtoricae, aut contra morum et iurium illius aetatis, qua ſcriptum eſt diploma, rationem. At nemo non videt, hiſtoriae cognitionem et earum rerum, quarum in diplomatibus mentio fieri ſolet, intelligentiam, elegantiſſima artis noſtrae praeſidia eſſe, quae multum ad falſi poſtulanda diplomata valeant. Ideo illis non deſtitui oportet eum, qui in rei diplomaticae ſtudio operae pretium facere cupit, conf. §. XX. Prooem.

§. X.

Praeclare admodum externum et internum tabularum habitum deſcripſit vetus ſcriptor in libello, quem inſcripſit *Syntagmata dictandi.* * Verba eius, quum egregie illuſtrent id, quod paullo ante diximus, hic adſcribere iuuat. *Praecepta*, inquit, *vel Mundiburdia magnatum et ſaecularium poteſtatum ſunt ſolum. Proprie autem Regum vel Principum praecepta ſignum certum non habent in exordiis, ſed quod facere ſcriptoribus collibuerit, vel crucem vel chriſmon, vel literam quamlibet circumdatam ſerpentibus in hunc modum* ❋, *vel quodlibet aliud, quod voluerint. Solet autem prima linea praeceptorum longis et aequalibus litteris figurari, initium autem praeceptorum huiusmodi eſt: In nomine ſanctae et indiuiduae Trinitatis Heynricus Gratia Dei Imperator Auguſtus. Poſt illum Prologum introducitur quaſi perſona Imperatoris loquentis reddentisque cauſſam, qua inductus illud voluerit praeceptum ſtatuere, dicens, regiae dignitati competere, vt talium virorum, a quibus ipſe rogatus eſt, non debeat contemnere preces, vel quam voluerit facere illius edendi praecepti, vel mundiburdii iuſtam cauſſam inſinuans. Poſt haec quod ille*

loco illi vel homini sua auctoritate concedat vel roboret, erit illud subinferendum. In fine vero Praecepti illud erit locandum, vt quicunque contra illius praecepti decretionem fecerit, mille auri optimi libras, vel quodlibet aliud pretium, quod instituerit Imperator se persoluturum cognoscat, medietatem regiae camerae, et medietatem loco vel homini illi, cui illud praeceptum conscribitur. Post haec, quod Imperator propria manu subscripserit, et proprio signari sigillo iusserit, erit adiiciendum. Post completum praeceptum monogramma est ponendum, in quo nomen Imperatoris Augusti Dei gratia habeatur connexum, vel alia quaelibet, quae Imperatorem condeceat. Ex vtraque autem Monogrammatis parte longioribus et aequalibus literis scriptum erit signum domini illius Imperatoris Serenissimi vel Augusti, vel aliud quodlibet huiusmodi. Post Monogramma prolixioribus et paribus litteris scribitur Heynricus vel A. Cancellarius vice G. Vercellensis Episcopi recognoui istud factum. In vltima chartae linea quoto anno a Domini incarnatione et quota indictione, et quo Regni vel Imperii illius Imperatoris anno et quo loco litteris erit communibus conscribendum. v. IO. MABILLON *L. VI. de re diplomat. p. 619.* qui anonymum hunc auctorem ex codice Metensis ecclesiae produxit. *

* Obseruasse hic iuuabit, vocabulum *dictandi*, medio aeuo, de quouis scribendi, siue libellum conficiendi genere vsurpatum esse. Itaque presse nimis illud definit HAHNIVS in praefat. Collect. monument. veterum T. I. praemissa, vtpote qui dictatoris, et dictaminis vocibus, in medii aeui historia frequentissimis, vel epistolicas institutiones, vel manuductionem ad stilum, vel ipsum litterarum commercium potissimum signari vult. vid. HEVMANNI, viri celeberrimi *conspect. reipubl. litterariae p. m. 217.* Cel. GESNERVS *ad Quinctilianum X. 3, 18.*

§. XI.

Interna ergo et externa diplomatum, notas constituunt, per quas illa dignoscuntur, et ex quibus intelligi,

ligi, veraque a falſis ſecerni poſſunt. Hinc perſpicue patet, de ſingulis hiſce quaedam praecipienda eſſe, et praecepta luculentis exemplis illuſtranda et confirmanda, quae vtpote omnia ars diplomatica complectitur.

§. XII.

Ex his facile colligitur I. regulas diplomaticas non ſeorſim, ſed omnes coniunctim adhibendas eſſe, et tum ſecundum illas diploma examinandum. * MABILLON *Suppl. de re diplomat. p.* 2. II. diploma, quod in quibusdam modo internis et externis genuinum videtur, non in omnibus, ſuſpicione quidem premi, ſed non continuo proſcribendum eſſe.

* Ingenioſe et diſerte, vt ſolet orator, qui cauſſae ſuae ſeruit, huius regulae neruum incidere conatur V. C. HOFFMANNVS in laudata *orat. p.* 46. Sed firmo illa ſtat talo, et optimam rationem habet. Res omnis enim hic redit ad probabilitatem. Maior autem omnino adeſt, ſi plura legitimi diplomatis requiſita occurrant, ex quibus ad αὐθεντίαν concludere licet. Omnibus vero conſpirantibus notis, quae in diplomate genuino inſunt, ſeu requiſitis ad veritatem diplomatis, certo ſincerum diploma eſſe intelligitur.

§. XIII.

Nec minus inde intelligitur, notas quasdam, per quas diplomata determinantur, reliquis potiores, et eſſentiales eſſe. Quae ſi recte ſeſe habeant, licet in aliis leuioribus vnum alterumue vitium reperiatur; legitimi autographi fides recte ſuſtinetur. Contra ſi capitalia deprehendantur vitia, et notae eſſentiales non adpareant, reliquis omnibus ſanis; tamen diploma conſtare nequit. MABILLON *L. III. de re diplomat. cap. VI. §.* 5. *

* Tales defectus eſſentiales, ob quos vel ſolos diploma tamquam falſum fictumque repudiari poteſt, in diplomatibus Regum Francorum primae ſtirpis ſunt inuocatio ipſis praepoſita, indictio et annus incarnationis in notis chronicis, vox feudi in textu, ſigilla adpenſa

ante saeculum XII. nomina personarum, quae post diploma datum vixere, in contextu expressa, contextus plane vitiosus. Conf. R. P. THEOD. RVINART in *Praef. secundae editioni* IO. MABILLONII *librorum de re diplomat. praemissa.*

§. XIIII.

Quandoquidem vero ars diplomatica species est artis criticae, vt ostendimus supra, eadem obseruanda erunt rei diplomaticae cultori, quae a critico exiguntur. Caueat itaque I. *ne iusto plus indulgeat ingenio*, II. *coniecturis nimium tribuat.* Nam vti inconsulta audacia artem hanc pulcherrimam perdit; ita quoque nihil temere statuendum est, et praecipue studendum *modestiae*, quam supremam legem in re critica esse oportere, recte ostendit vir illustris, CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK in Praef. *Obseruat. iur. Rom. L. IV.* praemissa, quamque serio commendat et enixe vrget IO. MABILLON *L. III. de re diplomat. c. VI. §. 2.*

CAPVT II.

DE DIPLOMATIBVS EORVMQVE AVCTORITATE FATIS ET VARIIS NOMINIBVS.

§. XV.

DIPLOMATA, quorum vsus apud Germanos antiquissimus, nec aliis gentibus, vrpote Graecis, Gallis, Hispanis, Anglis et Italis, vti ostendit IO. MABILLON *L. I. de re diplomat. c. IV. et L. II. c. III.* incognitus fuit, mihi dicuntur *litterae patentes Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, quibus varia iura et priuilegia, vel etiam res personis, ciuitatibus et collegiis tribuuntur.* * Nomen eorum a figura externa fluxisse, plerique sentiunt cum ISA. CASAVBONO *ad Sueton. August. c. 50.*

* An

* An etiam Romanis? Ita videri posset ideo, quod a C. IVLIO CAESARE et NERONE *diplomata* augustissimae genti Austriacae *concessa* esse iactantur a Cuspiniano, Gerardo a Roo, Fuggero, et aliis Austriacarum rerum scriptoribus. Deinde Augustum SVETONIVS in *eius vita cap. L.* refert, *in diplomatibus libellisque et epistolis signandis initio Sphinge vsum esse, mox imagine magni Alexandri, nouissime sua.* Nec ignorasse Romanos diplomata, colligi posset ex CICERONE *L. X. Ep. XI.* C. PLINIO *L. X. Ep. XIV. LIV. CXXI.* et IVLIO CAPITOLINO, qui in *Pertinace cap. I.* ait: *quod sine diplomatibus cursum vsurpauerat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.* Luculenter quoque hoc testantur ICti, Venuleius in *L. 137. §. 2. D. de Verbor. oblig.* et Modestinus in *L. 27. D. ad L. Cornel. de falsis.* Sed vti merum commentum est, quidquid de diplomatis Iul. Caesaris et Neronis, Austriis datis traditur, quod ex instituto docuit FRANC. PETRARCHA in *Ep. V.* quae exstat in eius *Oper. L. XV. rerum senilium p. 955. sq.* add. PETR. LAMBECIVS *Biblioth. Vindobon. L. II. p. 962. sq.* et IO. PETR. DE LVDEWIG in *German. Principe L. I. Cap. IV. §. 2.*: ita alio plane sensu a laudatis auctoribus diplomata accipiuntur, scilicet pro litteris principalibus, quibus iter facientes per prouincias adiuuabantur, iisque cursui necessaria publice praestabantur. v. BIRNBAVM de natur. et vsu stud. antiquitat. p. 45. Formulam eiusmodi diplomatis ad cursum publicum dati exhibet BARONIVS *annal. eccles. T. III. ad a. 314. n. 72.* Quamquam vero Romanorum diplomata huc vel potissimum spectabant: tamen et alias virorum principum litteras, quibus beneficia indulgebantur, id nominis sortita esse, CASAVBONVS ad Suet. obseruauit. SVETONIVS sane diplomatum facit mentionem, quibus Iulius, Augustus et Nero ciuitatem Romanam concessere. Calig. c. 38. Neron. c. 12.

§. XVI.

Aetas, qua primum in Germania inualuerint diplomata, certo definiri nequit. Vix tamen illorum, praecipue regiorum vsus antiquior videtur saeculo sexto aut septimo. Hoc enim iam prodiisse quaedam nouimus, veluti Dagoberti I. Francorum Regis, qui an. IↃCXXIV. diploma concessit coenobio Weissenburgensi, et anno IↃCXL. monasterio Sancti Maximini apud Treuiros, quod exhibet NIC. ZYLLESIVS in *Defen-*

sione Abbat. imperial. S. Maximini P. III. p. 9. Falluntur ergo, qui apud Alemannos iam diplomatum vsum fuisse sibi persuadent, idque ex ipsis illorum legibus probari posse credunt. Praecipitur quidem L. Alemann. *cap. XIX. vt res ecclesiae nullus laicus absque charta possidere praesumat, et si chartam non ostenderit, possessio semper ad ecclesiam pertineat.* Sed charta hic priuatum instrumentum denotat, adeoque ad diplomata referri non potest.

§. XVII.

Antiquissimis temporibus Imperatores tantum et Reges concesserunt diplomata, adeoque regia reliquis et vetustate, et dignitate longe antecedunt. Principes vero imperii non prius diplomata iure proprio et perpetuo dedisse credibile est, quam quum superioritatem territorialem sibi adquisiuissent. Nec hic commode obuerti possunt exempla diplomatum, quae a Principibus Imp. ante tempora illa, quibus sibi vindicarunt iura territorialia, tributa leguntur apud NIC. SCHATENIVM in *Annal. Paderbornens. P. I. p. 483. 487. sq.* Quippe non suo, sed Imperatoris nomine et auctoritate talia illos largitos esse palam est. * Praeceptis et diplomatibus in tutelari regimine promulgandis non tutricis, sed ipsius regis praemittebatur nomen, addito etiam sigillo regio; nomina vero matris, et eorum principum, quorum consilio res acta erat, ipsi diplomati inserebantur. Testis est *Ottonis III. diploma* apud MIRAEVM *in codice donat. piar. n. 41. p. 52.* Singulare igitur exemplum est Theophaniae, quae an. IↃCCCC. suum ipsius nomen diplomati praescripsit, imperiique sui annos non ab obitu mariti, Ottonis II., sed ab inito cum eo coniugio computauit. vid. Cel. SWARZIVS *Diss. de Mathilde, Abbatissa Quedlinburg. Vicaria imp. p. 65.*

* Primus

* Primus autem ex Ducibus, vti obseruat IO. AVENTINVS in *Annal. Boior. L. VI. Cap. III. n. 3.* diplomata concessit Henricus Niger, Dux Boioariae et Saxoniae, pater Henrici superbi. Ita vero l. c. ait: *atque hunc Henricum, octauum regulum Boiorum, primum omnium priuatis auspiciis donationem fecisse, diploma dedisse, hoc sua imagine signasse, id quod antea Imperatores, Reges et Caesares duntaxat factitarunt, reperio.* Et paulo post initium et finem diplomatis adscripsit.

§. XVIII.

Quum fundamentum iuris diplomata dandi sit superioritas territorialis, quod praeclare ostendit IO. EISENHARD de *iure diplomat. cap. II. §. 1.*: in promtu est ratio, cur praeter caesarea et regia Electorum quoque, Principum, tam saecularium, quam ecclesiasticorum, * Comitum et Ciuitatum imperialium diplomata reperiantur. Hos enim omnes superioritate territoriali gaudere, nemo ignorat.

* Existimat quidem IOACH. VADIANVS de *collegiis monasteriisque Germ. L. II.*, initio statim, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum concessiones, scripto comprehensas, non diplomata, vtpote quae proprie Impp. Ducum, et Comitum priuilegia essent, sed *chartas* dici. Verum discrimen hoc non semper obseruari ostendimus in §. XXVIII. Deinde quum Archiepiscopi, Episcopi, Abbates hodie iura territorialia exerceant, et vt Principes spectandi sint, iudice IO. NIC. HERT. de *special. R. G. I. rebus publ. Sect. I. §. V.*: eatenus quoque recte illorum concessiones diplomata adpellamus.

§. XVIIII.

Hinc iam inde ab antiquissimis temporibus in Palatiis Regum instituta erant archiua, in quibus summa cum cura tabulae publicae reponebantur. ANNALES FRANCORVM ad ann. DCCCXIII. diserte testantur, Constitutiones in *archiuo Palatii* haberi, et primae stirpis Francorum Reges *chartarum scrinia* et *regesta* habuisse, obseruat IO. NIC. HERT in *Notit. regni Francor. veteris cap. III. §. 45.* In Praecepto Ludouici Pii, quod

quod exſtat apud STEPH. BALVZIVM *T. I. Capitular. p. 552.* legitur: *exemplar vero eorum* in archiuo palatii noſtri *cenſuimus reponendum.* Ex eodem intelligitur, tria tum in ciuitatibus maioribus fuiſſe tabularia, Epiſcopi, Comitis, et Vniuerſitatis. *

* *Regeſta* et *regiſtra* medio aeuo dicta ſunt ſcrinia, in quibus *chartae* et *reſcripta* adſeruabantur. BOEHMERVS *in not. ad cap. 2. X. de conſtitution.* Cauſſas archiuorum medio aeuo conditorum exponit IO. PETR. A LVDEWIG *in iure clientelari* p. 7.

§. XX.

In eccleſiis et coenobiis diplomata, veluti ſibyllina carmina adſeruabantur, quin illa ipſa Germaniae tabularia fuerunt, quod erudite oſtendit V. C. GODOFRED. HECHTIVS in commentat. de *coenobiis Germ. rerum geſtarum tabulariis*, quae adiecta eſt eius Diſſ. de *Henrici Guelfi inſignibus gentilitiis.* Teſtatur quoque de eccleſiarum archiuis Caroli Calui Edictum Piſtenſe de an. DCCCLXXI. apud BALVZ. in *Capitular. T. II. p. 214.* conf. VLRICI *Diſſ. de Archicancellariatu et primatu Abbat. Fuldenſ.* p. 30. WALDSCHMID *Diſſ. de probat. per diplomata* p. 12.

§. XXI.

Praeterea tantum Germanorum ſtudium fuit in cuſtodiendis chartis, vt ob funeſtos fortunae caſus, quos metuebant, vnius diplomatis ſaepe plura exempla in diuerſis tabulariis exſtare vellent, quod iam Caroli M. aeuo factum eſſe, teſtimonio ADEMARI ad a. DCCCXIII. probauit perilluſtris IO. PETR. A LVDEWIG in praef. *T. I. Reliqu. MSCtor. p. 12. et 87.* Eat nunc GERMONIVS, et monſtri ſimile eſſe clamet, tot vetuſtas chartas tam longam ſaeculorum aetatem incorruptas ferre potuiſſe.

potuisse. Quasi vero hoc sit mirandum in tanta antiquitate Archiuorum, quorum summa cura et sollertia non minus Germanis fuit, quam Romanis, aliisque gentibus, de quarum tabulariis commentatus est venerandus parens νῦν ἐν ἁγίοις TOB. ECKHARDVS, in Schediasm. de *tabulariis antiquis*.

* Neque tamen diffitemur, insignem fuisse multorum hominum in tuendis chartis et conseruandis archiuis oscitantiam et negligentiam, cuius rei lepida exempla adfert IO. GEORG. LEVCKFELD *in notis ad Lezneri Nachrichten von dem Reichs Stift Luckem*, *in Antiquit. Michaelsteinens. p. 60.* conf. A LVDEWIG *in iure clientel. p. 7.*

§. XXII.

Res, de quibus diplomata conduntur, variae sunt et infinitae. Recte vero negotia, circa quae versantur, diuidi possunt in *publica* et *priuata*. Ad illa referas *concessiones regalium*, *sublimiorum dignitatum*, item *erectiones ducatuum et principatuum*, dein *fundationes ecclesiarum atque coenobiorum*, *feudorum*, *variorum iurium ac priuilegiorum collationes et confirmationes*. *Priuata* dixeris, quae ab illis, qui diplomata dare solent, tamquam a priuatis aguntur. Ergo huc pertinent contractus v. g. donationes, * emtiones venditiones, oppignorationes, et quae sunt eius generis alia.

* Nulla vero maior diplomatum farrago occurrit, quam illorum, quibus largitiones monasteriis, coenobiis et ecclesiis factae sunt. His ipsis ideo quoque nomina *donationum piarum* sunt posita, quales ex Belgis vno alteroue volumine collegit AVBERTVS MIRAEVS in *Codice piarum donationum Belgicarum Bruxellis 1624.* et in *Donationibus Belgicis Antwerp. 1629.* In Germania quoque maximam partem absoluunt eius generis chartae, quarum plenissima sunt tabularia. Multitudinem illarum peperit superstitio superiorum temporum, quibus effuse in ecclesias opes congerebant Principes. Auxit eamdem mirum in modum auri sacra fames, et incredibilis astutia Clericorum, qui lucrum ex hac simplicitate ca-

ptantes, nihil reliqui faciebant, vt magis prouocaretur aliorum liberalitas, et vt quam maxime firmae rataeque essent largitiones, in litteras solemnes illas referebant. Acu rem hic tetigit perillustris Fridericianae Academiae Cancellarius IO. PETR. DE LVDEWIG in eruditissima Praefat. *T. I. Reliquiar. MSCtor.* praemissa *p. 9. et 11.* vbi varias Clericorum artes notat, quibus generatim etiam adscribit caussam insignis diplomatum multitudinis. Porro inde liquet, cur Abbatiarum et in genere coenobiorum tabularia prae reliquis superbiant instructissimo diplomatum adparatu.

§. XXIII.

Auctoritas diplomatum in tantum olim aestimata est, in quantum et sanctitas illorum, et ipsa Principum maiestas intelligi potest. Inculcant eam I. *Leges*, quae grauissimas poenas diplomatum violatoribus minantur, vtpote proscriptionem bonorum, dextrae vel pollicis abscissionem, et viuicomburium. LEX RIPVARIA *Tit. LIX. §. III.* LEX WISIGOTHORVM *L. VII. T. V. §. 1.* II. *Sanctiones poenales*, quibus munitae sunt diplomata: quemadmodum iam Pipinus, Rex Francorum diplomati, monasterio S. Maximini dato apud NIC. ZYLLESIVM in *Defens. Abbat. imperial. S. Maximini P. III. n. 3.* talem subiecit sanctionem: *Si quis autem, quod absit, hanc chartam infringere voluerit, vel eiusdem loci familiae vllam molestiam in aliqua re intulerit, contra voluntatem Abbatis, iram Dei incurrat, ac regiae maiestatis r us omni tempore teneatur.* Haud paullo grauior est sanctio poenalis, quae in diplomate Friderici I. de an. 1118. Ep. Herbipolensi concesso, apud SCHANNAT in *Vindem. litterar. collect. II. p. 116. sq.* occurrit: *quicunque autem contra eam* (Sanctionem Pragmaticam) *venire praesumpserit, imperatoriae maiestatis reus seuerissimae animaduersionis poenas exsoluat, et mille libras auri purissimi componat camerae, et alteram medietatem Wurceburgensi episcopo et ecclesiae.*

ecclesiae. Aliam sanctionis formulam habes in dipl. Ottonis II. Imp. apud VGHELLVM in *Italia sacra T. III. p. 974.* et in dipl. Conradi III. Imp. de an. 1150. apud HEINECCIVM *Antiquitat. Goslariens. L. II. p. 146.*

§. XXIIII.

Probatur quoque auctoritas diplomatum III. ex eo, quod non nisi viris, qui et integritate summa essent, et summo in republica loco haberentur, nempe cancellariis, seruanda committerentur. HINCMARVS Rhemensis, *Ep. III. cap. XVI. summus cancellarius, qui olim a secretis adpellabatur, erantque illi subiecti prudentes et intelligentes ac fideles viri, qui praecepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate subscriberent, et secreta fideliter custodirent.* IV. Quod tutissimis, et aduersus quaeuis pericula munitis locis, * diplomata inclusa diligentissime custodirentur, et archiua in sanctissimis locis, palatiis regum, ecclesiis et monasteriis instituta, omnium maxime sarta tectaque conseruanda veteres existimarent. Nec aliam ob caussam, quam quod ad stabiliendam diplomatum auctoritatem pertinere videbatur, in moribus olim fuit, vt Impp. ac Reges eos, qui diplomata temerare, aut conuellere auderent, dirissimis exsecrationibus deuouerent, et quasi sacros esse iuberent, de quo postea plura dicemus.

* FRODOGARDVS *Histor. Remens. L. II. c. XIX.* archiuum ecclesiae Remensis *tutissimis aedificiis* constructum fuisse refert. Apud Floriacenses priuilegia et instrumenta in *turricula* adseruabantur, et apud Croylandenses in *Chartaria, arcu lapideo per totum contecta*, vt testatur INGVLPHVS in *historia Croylandensi ad an. 1091.* Hariulfus, monachus Centulensis, siue Sti Richarii de historia sui coenobii, quam ex monimentis, ex tabulariis depromtis, condidit, ad suos ita scribit:

Quam puto vos latuisse diu, nec vestra tenere:
Condita secretis *armaria* clauibus *arcent.*

Plura de singulari veterum cura in custodiendis diplomatibus et tuendis archiuis exposuit vir humanissimus, IVSTVS FONTANINVS in *Vindic. antiquor. diplomat. L. I. cap. II.* Adde IO. MABILLON *Suppl. libr. de re diplomat. cap. II.* Sic quoque Germani nostri munitissima quaeque loca, concamerationes, vel fornices solido lapide structos, adseruandis diplomatibus destinarunt.

§. XXV.

Quemadmodum vero omnia, vt est rerum humanarum conditio, ad varios fortunae casus proiecta sunt: ita quoque diplomata et archiua sua habuerunt fata. In tot bellorum fluctibus et hostium direptionibus, quibus Germania olim vniuersa misere infestata est, diplomata inuiolata mansisse, et tabularia nullam passa esse cladem, nemo facile sibi persuaserit, si vel maxime milites, litterarum incuriosos, auro magis et argento inhiantes, a cariosis chartis scelestas manus abstinuisse quis suspicetur. V. IO. PETR. DE LVDEWIG, vir perillustris, in Praef. *de vsu et praestant. diplomat.* §. *XXXVI.* et WALDSCHMID *Diss. de probat. per diplomata p. 13.* Saepe quoque, quibus belli furor pepercit, ea flammae vis abstulit, disturbatis igne, aut conflagratis archiuis; et ob alias calamitates, quas in terrorem mortalium vertit diuinum Numen, praestantissima monimenta interciderunt. Exstant eius rei exempla satis deploranda, historiarum annalibus prodita, ex quibus vnum alterumque modo adferre licebit. Wicelinus, Treuirensis Vice-Dominus, facto in Coenobium Mediolacense impetu, ne qua reperendi bona, quae inuaserat, sacris eius incolis superesset, omnes donationum veteras chartas minutatim conscidit, auctore BROWERO *Annal. Treuirens. Tom. I. p. 454.* Incensa A. C. millesimo, et in fauillas redacta, ecclesia Paderbornensi, ingentem sacrae supellectilis, sed multo magis deplorandam diplomatum

tum iacturam factam esse testatur NIC. SCHATEN *Annal. Paderbornens. Tom. 1. p. 356.* Hinc factum est, vt sacrorum Praesules prouidi et circumspecti, diplomata a barbaris dissipata, aut alio fato deperdita ab Impp. et Regibus renouanda curarent, ne quid inde detrimenti res suae caperent. Sic Waldo, Frisingensis episcopus, precibus effecit, vt amissa *ex fortuita ignium succensione* priuilegia a Ludouico IV. sibi suaeque ecclesiae instaurarentur, et de nouo confirmarentur, vti obseruat MEICHELBECK in *Histor. Frisingens. P. I. p. 152.* Vtinam vero, quod maxime illaetabile est, non magis metuendum esset ab iis, qui, quod ignis, barbari, et tempus edax rerum, intactum reliquerunt, vno quasi edicto abolere conantur, barbaris ipsis truculentiores! de quo iure conqueritur eruditissimus IO. MABILLON in *Supplem. ad rem diplomat. c. II. §. 1.*

§. XXVI.

Operae pretium erit hic obseruare vocabula, quibus antiquissimo et medio praesertim aeuo diplomata designari solent. Vocantur illa I. *praecepta* vel *praeceptiones*, quam denominationem satis antiquam esse, adparet ex diplomatibus saeculi VII. Theodorici et Childeberti III. Regum Francorum, in quibus leguntur formulae: *per praesentem praeceptionem, per praesens praeceptum decernimus*, item clausula subscriptionis: *vt haec praeceptio firmius habeatur.* Similiter Henricus IIII. in dipl. de an. 1114. apud HAHNIVM in *collectione monumentor. veter. p. 74.* ait: *hoc praeceptum inde conscriptum sigilli impressione signare iussimus.* conf. IO. MABILLON *de re diplomat. L. VI. n. IX. X. XII. XIII. XX. XXII. XXVI.* Diplomata ecclesiae Compendiensi concessa Carolus Simplex *praecepta* adpellat in diplomate, quod exhibet

 lauda-

laudatus MABILLON *l. c. n. CXXVII.* Confirmat hoc egregie THEGANVS *de gestis Ludouici Pii Imp. cap. X.* vbi ait: *Iussit supra dictus princeps renouare omnia praecepta, quae sub temporibus patrum suorum gesta erant ecclesiis Dei, et ipse manu propria ea cum subscriptione roborauit.* Hoc sensu in Germanicis quoque diplomatis huius vocis mentio frequenter occurrit. Vnde in confirmationibus priuilegiorum Impp. et Reges Germ. formula vtuntur: *obtulit obtutibus nostris praecepta* N. N. item ea: *hanc praecepti nostri paginam manu propria etc.* vid. diploma Ottonis III. Imp. apud AVBERT. MIRAEVM *Tom. VII. p. 238.* conf. HERTII *Notit. veter. Francor. regni Cap. V. §. 34. p. m. 258.*

§. XXVII.

Auctoritas olim idem significauit, quod diploma. *L. Wisigothorum L. VII. T. V. Leg. I.* poenas statuit in falsarios *auctoritatum* vel praeceptionum regiarum. Sed ibi auctoritas edictum vel rescriptum regis modo denotare videtur. Luculentius vero vsum huius vocis pro diplomate ostendunt formulae, quae habentur in dipl. Chlodouaei iunioris de an. 653. *per hanc auctoritatem iubemus*, in dipl. Caroli M. de an. 813. *vt haec autoritas firmior habeatur*, et in dipl. Ludouici Pii, monasterio Corbeiensi concesso an. 823. *hanc autoritatem immunitatis fieri iussimus.* V. IO. MABILLON de *re diplomat. L. VI. p. 466. et p. 514.* Ita et a recentioribus Germ. Impp. et Regibus autoritas pro diplomate crebro vsurpatur, quod pluribus exemplis probare non attinet. V. ANTON. MATTHAEI in *Notis et Obseruat. ad Annal. Egmondanos cap. XVII.*

§. XXVIII.

Deinde *chartarum* nomine media aetate frequentissime

tissime diplomata insigniebantur. Generali significatione quodcunque instrumentum charta dicitur, ideoque a Marculfo chartae distinguuntur in *regales et pagenses* seu priuatas. In Germanicis tamen diplomatibus charta semper accipitur pro diplomate ab Imp. vel Rege dator Hinc solemnem in illis clausulam saepe obseruamus: *chartam hanc inde conscribi et sigilli nostri impressione iussimus insigniri.* Compara diplomata ADAMO BREMENSI subiecta *n. XIV. XV. sq.* conf. CHRONICON. GOTTWIC. *L. II. p. 82.* Ex his patet, fallere obseruationem VADIANI *§. XVIII.* * adlatam, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum concessiones chartas tantum olim nuncupatas esse.

* De *chartis* copiose differit HAVSHILD *von der Gerichts-Verfassung der alten Deutschen v. chart.* De *charta rogata v.* CAR. DV FRESNE *Gloss. v. charta rogata.* conf. CONRADI *parerg. p. 471.* Charta *testamentaria* vocatur diploma a Conrado, Marchione Misniae, ap. HAHNIVM *in collect. Monum. vet.* T. I. p. 77. De *chartis indentatis* vid. PISTORIVS *in amoenit. historic. iurid. P. I. p. 45.* et *in praef. P. III.* Exempla eiusmodi chartarum exstant in *chartular. Moelnens. n. 119. in fin.* Ex instituto autem de illis egit DREYERVS *in comment. de chartis indentat.*

§. XXVIIII.

Porro diplomata dicuntur *priuilegia*, notione rei satis concinna et perspicua, quia priuilegia plerumque diplomatis concedi solent. (§. xv.) Luculenter hoc probari potest ex loco Auctoris *de rebus pie gestis Theoderici R. Francorum* apud ANDR. DV CHESNE *Histor. Francor. scriptor. T. I. p. 631.* vbi refertur: *Ansbertum quemdam aulicum scribam factum esse, et conditorem regalium priuilegiorum, et gerulum annuli regalis, quo eadem signabantur priuilegia* sc. diplomata. Sic auctor *Syntagmat. dictandi* apud MABILLON de *re diplomat. L. VI. p. 618.*

caput,

caput, quo formulam regiorum diplomatum tradit, *priuilegia regum* inscripsit. Eodem sensu *littera priuilegialis* pro charta immunitatis adhibetur in dipl. Agnetis, Ducissae Silesiae de a. 1369. apud perillustrem IO. PETR. DE LVDEWIG in *Reliqu. MSCtor. Tom. VI. pag. 405.*

§. XXX.

Testamentum vti medio aeuo quodlibet genus contractus, et quodlibet instrumentum significabat, IO. MABILLON *L. I. de re diplomat. cap. II. §. VI. et XX.* FRIDER. LINDENBROGIVS in *Formulis cap. C.:* ita quoque non raro pressiori potestate diplomata regia hoc nomine insigniuntur. Sic in Fragmentis de Regum Francorum rebus pie gestis apud DV CHESNE *Histor. Francor. Scriptor. T. I. p. 541.* memorantur *testamenta regalia*, quibus Ansebaldus quidam praefectus fuerit. Conferatur apud MABILLON in *analect. T. II.* ABBO Floriacensis in *Canonibus*, quorum *Cap. VII. p. 266.* inter varias vocabuli *testamentum* significationes illa quoque, quae huius loci est, adfertur. In praecepto Ludouici Regis ad petitionem Luithelmi, episcopi Tullensis, monasterio S. Apri concesso dicitur: *praesentem testamenti paginam renouando transcribi iussimus, per quam decernimus etc.* apud EDM. MARTENE et VRSIN. DVRANDVM in *Thesaur. Anecdot. Tom. I. p. 60.* conf. N. H. GVNDLING *de Henrico Aucupe p. 260.*

§. XXXI.

Denique sigillum medii aeui scriptoribus saepe diploma seu instrumentum ipsum sigillo munitum notat, quemadmodum et bulla pro diplomate, bulla instructo, accipitur. Notabile est exemplum, laudatum iam doctissimo HEINECCIO in *Synt. de Sigillis P. I. c. II. §. 3.*

in

in diplomate apud BARONIVM *Annal. eccles. T. X. p. 724.*, quod ita se habet: *in nomine patris et filii et spiritus sancti Romanus et Constantinus, Christophorus et Stephanus et Constantinus Christi amicissimi et fidelissimi in domino benigno Imperatores disposuimus istud praesens nostrum benignum* sigillum. Plura vero dabit CAROLVS DV FRESNE in *Glossario v. sigillum.* Recte nuper monuit illustris IVSTVS HENNING. BOEHMER in Diss. de *Sanction. pragmaticar. indole et auctoritate Cap. II. §. IV.* ad diplomatum species referri quoque debere *Sanctiones pragmaticas.* Hoc enim nomen praeceptis suis nonnumquam Impp. ac Reges tribuisse constat. Conradus II. in diplomate Archiepiscopo Pisano dato ap. VGHELLVM in *Italia sacra V. p. 703.* ait: *inconuulsa permanere pragmatica sanctione decernimus.* Eodem vocabulo vtitur Fridericus II. Imp. in dipl. de an. 1178. *pragmatica sanctione eis confirmamus.* conf. BOEHMER cit. Diss.

§. XXXII.

Sunt et alia vocabula diplomatum *συνώνυμα,* veluti *placita, panchartae, et indiculi.* * Placita dicebantur litterae regiae super re iudiciali expeditae; alias erant conuentus publici totius regni ordinum, de quibus pluribus egit CAROLVS DV FRESNE in *Glossario h. v.* Sed rarior, immo vix vllus huius vocis vsus ex diplomatibus Germanicis intelligitur. CHRON. GOTTWIC. *L. II. p. 82.* Quod quum etiam de panchartis et indiculis dicendum sit; iis hic non immoramur. Consulendi vero de his sunt MABILLON *L. I. de re diplomat. Cap. II. §. III.* et DV CANGE in *Glossario his vocibus.*

* Huc pertinet vox Germanica *Vrkunde*, de qua vid. HERTIVS *in Notit. regn. Franc. veter. c. V. §. 44. in not.* et MATTHAEVS *in manudutt. ad ius canon. p. 46.* conf. WACHTERI *Glossarium*

Germ. h. v. Vocabulum *Orkunde* ab auris torsione, cuius in instrumentis frequens fit mentio, repetendum esse, POTGIESSERVS existimat, et perperam *Urkunde* dici, *de statu seruor. Germ. p. m. 424.*

CAPVT III.
DE MATERIA IN QVA ET EX QVA SCRIPTA SVNT DIPLOMATA.

§. XXXIII.

VARIA quidem et multiplex apud veteres fuit materia, in qua olim excepta scriptura est, vti ex instituto hoc exponunt HERM. HVGO de *prima scribendi origine, Antwerpiae an. 1617. 8.* LEO ALLATIVS in *animaduersion. ad antiquitates Etruscas Inghiramii*, IO. MABILLON de *re diplomat. L. I. c. VIII.* CHRON. GOTTWIC. *T. I. L. I. C. I. p. 10. sq.* Sed non quaeuis aeque in diplomatis scribendis vsurpata est.

§. XXXIIII.

Membrana, vti reliquis omnibus materiis praestantior, ita quoque frequentior et praecipuus fere eius vsus fuit, quem ideo ceteris anteposuit VLPIANVS in *L. 52. D. de legatis III.* * . Charta quoque Aegyptiaca, quae ex herba Nilotica conficiebatur, ad scribenda diplomata adhibita est, quod contra PAPEBROCHIVM probauit MABILLON *L. I. de re diplomat. cap. VIII. §. 6. sq.* ** Vulgari autem charta nostra, quae ex reliquiis linteorum contritis conficitur, cuius origo incerta est, licet eam iam Saeculo XII. notam fuisse, ex Petri Venerabilis loco, qui eodem saeculo vixit, ostenderit MABILLONIVS, vix vmquam Imperatores vel Reges in diplomatis vsos esse constat; nec hodie, si modo

do alicuius momenti ſint, in illa ſcribi ſolent. Caeterum Germanicis Imperatoribus et Regibus nulla alia ſcribendi materia, quam *membrana* vſitata fuit, ideoque omnia diplomata in membrana ſcripta fuiſſe oportet, quod et de aliis cuiuscunque argumenti libellis ante annum MCCLXXX. ſtatuit Dn. VALENT. FERDIN. DE GVDENVS in *Praef. Syllog. I. varior. diplomat. p.* 2.

* Notabilis admodum haecce lex eſt, in qua Vlpianus adcurate variam materiam, in qua libri olim exarati ſunt, recenſet. Ita vero ait: *librorum adpellatione continentur omnia volumina, ſiue in charta, ſiue in membrana ſint, ſiue in quauis alia materia, ſed et ſi in philyra, aut in tilia, vt nonnulli conficiunt, aut in alio corio; idem erit dicendum. Quod ſi in* CODICIBVS *ſint* MEMBRANEIS, *vel* CHARTACEIS, *vel etiam* EBOREIS, *vel* ALTERIVS MATERIAE, *vel in* CERATIS CODICILLIS; *an debeantur videamus?*

** Quomodo charta ex papyro fuerit confecta, PLINIVS L. XIII. c. XII. docuit.

§. XXXV.

Ad formam, quod adtinet, externam membranae, in qua exarata ſunt diplomata: illa in latitudinem extenſa eſt vsque ad ſaeculum XI. Interiecto vero deinde tempore longior potius membranae forma placuit, ita tamen, vt nullum in ea ſpatium marginale reperias, quod per totum ſaeculum XII. obtinuit. vid. Dn. VALENT. FERDIN. DE GVDENVS in *Praef. Syllog. I. varior. diplomatarior. p.* 2.

§. XXXVI.

Materia, ex qua diplomata ſcripta ſunt, quadruplex fuit, nimirum *rubrica*, *aureus* et *argenteus liquor*, *et atramentum.* Rubricae ſeu minii vſum in diplomatibus non ſolum Imperatorum Graecorum, ſed etiam Regum Francorum oſtendit laudatus MABILLON *L. I. de re diplomat. cap. X. ſ. IV. V.* In primis nomina et mono-

grammata Impp. et subscriptiones nominaque Cancellariorum minio pingebantur. At in Germanicis diplomatibus minium vsurpatum esse, vix reperitur.

* De sacro encausto, siue colore purpureo, quo Imperatores Rom. rescripta subscripserunt. vid. IO. SAM. STRYCK diss. *de sanctitate Residentiar.*

§. XXXVII.

Ex auro quoque diplomata nonnumquam scripta esse, et quidem ad maiorem regiae maiestatis splendorem declarandum, non paucis exemplis compertum habemus. Nolim vero ad fidem huic rei faciendam cum BERNARDO A MALLINCROT de *Cancellar. et Vicecancellar. imper. p. 464.* CHRON. GOTTWIC. *T. I. L. II. p. 82.* vrgere diploma Ottonis M., quo ecclesiae Rom. iura confirmata dicuntur, quod aureis litteris scriptum esse tradit BARONIVS, quia suspectae illud fidei esse ostendit HERM. CONRINGIVS de *Germanor. imperio Rom. cap. X.* Sunt enim alia magis sincera diplomata, ex quibus satis luculenter hoc probari potest; veluti Henrici II. Imp., quod Meinwerco, Paderbornensi Episcopo anno MXIV. concessit teste NIC. SCHATENIO *L. V. Annal. Paderborn. p. 409.* aureis litteris distinctum, et Conradi III. priuilegium Corbeiensibus datum an. MCXLVII. cuius meminit KLEINSORGIVS *L. VI. Chron. Westphal. eccles.* et quod aureis litteris membranae purpureae inscriptum esse testis αὐτόπτης est doctissimus IO. MICHAEL HEINECCIVS de *sigillis P. I. c. IV. §. 3.* Aliud exemplum aureo liquore exarati diplomatis habet LEVCKFELD in *Antiquitat. Poeldens. Cap. VIII. §. I. p. 29.* vid. IO. NIC. HERTIVS de *fide diplomat. sect. I. §. IX.* *

* Et auro et argento scribere antiqui solebant, cum scilicet pretium operis indicare vellent. SVETONIVS in Nerone: *pars carminum*

minum aureis litteris Capitolino Ioui dicata. vid. MONTFAVCON *in palaeogr. Graec. I. 1.* Caeterum hic obseruandum adhuc est, saepe diplomata et bullas aureas dici non tam ob scripturam auream, sed ob chrysobulum et auream bullam, quae iis appendet, id quod vel exemplo Aureae Bullae, Caroli IV. legis imperii fundamentalis, satis adparet; quantumvis etiam hanc adpellationis rationem COLERVS rideat *in Parerg. c. 4. Thes. iur. Ott. T. I. p. 358.* conf. CASPAR. ZIEGLER. de iurib. maiestat. L. II. c. 21. §. 18. sq.

§. XXXVIII.

Argenteo liquore exarata diplomata vix occurrunt, auctore MABILLONIO *L. I. de re diplomat. c. X. §. vlt.* Nec vllus eius vsus fuit Germanis, qui atramento, tamquam communi ad scribenda diplomata materia, vsi sunt. CHRON. GOTTWIC. *T. I. L. I. p. 82.*

SECTIO SECVNDA
DE EXTERNIS DIPLOMATVM NOTIS

CAPVT I.
DE LINGVA ET SCRIPTVRA DIPLOMATVM.

§. I.

EXPLICATIS hisce, ad ipsam rem diplomaticam, et quidem priorem eius partem, quae externos diplomatum characteres expendit, progredimur. Itaque iam de scriptura agendum, si quaedam ante de idiomate diplomatum dixerimus.

§. II.

Quum sero admodum in Germania lingua Germanica in publicis monimentis vsurpari coeperit; licet

alias eius vſus a multis iam annis inualuiſſet: facile patet, antiquiſſima diplomata latine fuiſſe conſcripta. *

* Antiquiſſima Germanorum lingua, et omnibus Germanicae originis gentibus communis, fuit Celtica, vid. PAVLVS HACHENBERG *Germ. media Diſſ. VII. de lingua veter. Germanor.* vid. HEINECCII *Vita Ludou. Germ.* p.740. ſq. peregrinarum tamen admixtione poſtea mirum in modum inquinata et corrupta. Deinde apud Francos viguit Theotiſca, quam Caroli M. auſpiciis exeoluit Rhabanus Maurus, Archiepiſcopus Moguntinus. Quin ipſe Carolus eius perpoliendae cauſſa *grammaticam ſcripſit*, teſte EGINHARTO de *vita Caroli M. cap. XXIX.*, quam poſtea auxit et abſoluit Otfridus, Monachus Weiſſenburgenſis, (conf. IO. DAVID. HOFFMANNI *Diſſ. de Otfrido Monacho Weiſſenburgenſi, quatuor euangeliorum interprete.*) cuius et volumen Euangeliorum rythmis theotiſcis compoſitum, et theotiſca paraphraſis ſingulis Pſalmi latinis verſibus ſubiecta, ex hoc aeuo ſuperſunt. v. PETR. LAMBECIVS *L. II. Bibl. Caeſar. cap. V. p. 463. L. II. c. VIII. p.757.* Nec poſtea quidquam praetermiſſum eſſe credibile eſt, quod ad emendandam linguam noſtram cultioremque reddendam pertinere videbatur. Sed quum Clerici facile praeuiderent, ſi vſus eius in publicis negotiis inualeſceret, inutilem fore ſuam operam, quam antea, vtpote ſoli latinae linguae periti, ſcribendis actis publicis praeſtabant: non poterant non diligenter cauere, ne patria lingua in diplomata et publica monimenta migraret. conf. C. DV FRESNE in *praefat. Gloſſ. mediae et infimae latinitatis.* add. IAC. BVRCKHARD *de fatis latin. lingu.*

§. III.

A Rudolphi Habſpurgici temporibus non niſi Germanica lingua ſcripta diplomata prodiiſſe, plerique cum IO. AVENTINO *Annal. Boior. L. VII. c. IX.* LEHMANNO in *Chronico Spirenſ. L. V. c. CVII.* exiſtimant, qui huius ſententiae non aliud fundamentum habent, quam quod Rex ille primus an. MCCLXXIV. edicto ſanxiſſe dicitur, *vt in poſterum Principum Mandata, Edicta, priuilegia in teutonica lingua ederentur*, cuius ſummam exhibet GOLDASTVS in *Tomo vno Conſtitut. imperial. p.311.*

§. IIII.

§. IIII.

Sed praeterquam, quod incertum ſit, an talis conſtitutio a Rudolpho publicata ſit, quia nusquam reperiri potuit, vt ideo merito de fide illius dubitent LIMNAEVS in *Iure publ. L. I. c. VI. n. 60.* CONRINGIVS de *origine iur. german. c. XXVII.;* falſum quoque eſt, nulla diplomata Germanica ante Rudolphum exſtare, et nulla latina poſt eumdem edita eſſe. Nam ſub FRIDERICO II. Imp. in comitiis Moguntinis celeberrimis *pax iurata, vetera iura ſtabilita, et teutonico ſermone in membrana ſcripta omnibus publicata ſunt*, vti refert Gothofredus, Monachus, in *Chron. ad annum* MCCXXXV. En monimentum legis, patria lingua ſcriptae, Rudolphi aetate antiquius, et forſan etiam vetuſtiſſimum! quod edidit GOLDASTVS *T. II. Conſtit. imperial. p. 17.* Quin poſt Rudolphi aetatem multa latina! publicata ſunt, quod vel Aureae Bullae, cuius authenticum latino idiomate conſcriptum eſt, exemplo manifeſto liquet. Sic quoque chartas Haſſiae Landgrauiorum vsque ad an. MCCCLXXI., quo prima vernacula noſtra ſcripta eſt, teſte *Auctore Chronici Franckenbergenſis* ad dictum annum, latino ſermone datas eſſe obſeruat WIGVLEVS HVNDIVS in *kurzem Auszuge hiſtoriſcher Obſervationen lit. I.*

§. V.

Exeunte vero ſaeculo XIII. Reges et Principes vernacula in praeceptis ſuis vti coepiſſe, non dubitandum eſt; hinc primum diploma Germanica lingua conſcriptum, quod vidit laudatus Dn. DE GVDENVS in *Praef.* citata, a Rudolpho Habſpurgico datum eſt a. MCCLXXXVI. Vix ergo ferenda eſt ſententia illorum, qui ad ſaeculum decimum quartum vsque cuncta fere diplomata latine

latine scripta esse putant. Dn. I. P. DE LVDEWIG in *Commentar. ad Aur. Bullam P. I. p. 14.* Tantum quoque abest, vt postea quam satis exculta esset lingua patria, latina ex monimentis publicis proscripta sit, vt potius illa iuxta vernaculam retenta adhiberetur, quod ex legibus imperii satis luculenter adparet. v. Maximiliani I. Imp. *ordinat. de Notariis de an. 1512. Capitulat. Caroli V. art. XIV. Leopoldi art. XLIII.* conf. NIC. CHRISTOPH. L. B. DE LYNCKER in Diss. *de idiomat. imperial. p. 11. sq.*

§. VI.

Etsi vero vernacula tandem lingua in diplomatis adhibita est; illa ipsa tamen latinis litteris in autographis exarata sunt. Testatur hoc ipsa Rudolphi Habspurgici constitutio, quam priscis latinis litteris scriptam esse, auctor est LEHMANN in *Chron. Spirensi L. V. cap. VIII.* Itaque harum litterarum forma, praesertim ea, quae in Impp. et Regum germ. diplomatibus obseruatur, et cuique saeculo propria fuit, hic iam considerанda. *

* Caue vero illam diiudices ex scriptura veterum codicum, quippe quae plane ab ea diuersa est, vti iam recte monuit MABILLON *L. I. de re diplomat. c. XI. §. 12.* Neque tamen negligenda est eius cognitio rei diplomaticae studioso, quin potius illi summe necessaria, quia insignem lucem diplomatibus adfert, et ad rectius iudicium de iis ferendum adprime prodest. Praeclare spartam hanc ornauit B. BVRC. GOTTH. STRVVIVS in Diss. de *criteriis MSCtor.* et, qui maiori adparatu ad illam accessit, Reu. Praesul Gottwicensis in CHRON. GOTTWIC. opere apud seros posteros summum pretium habituro, Tomo primo per totum librum primum.

§. VII.

Scriptura diplomatum variat, et aeque ac codicum scriptura saepe immutata est. Litterae duplicis sunt generis, *maiores* scilicet, et *minores.* Illae vocantur etiam

vnciales,

vnciales, quia vncia seu duodecima pedis parte constabant, quarum vsum iam sub Merouingicis Regibus et prima stirpe Francica ostendit MABILLON *L. I. de re diplomat. c. XI. §. 12. Minores* litterae eiusdem quidem formae cum vncialibus sunt, sed diuersae magnitudinis, ideoque *minutae* veteribus dictae. LEO ALLATIVS in *Animaduers. ad antiquit. hetruscas pag. 58.* *

* In codicibus maiores litterae ad Romanarum, quales aureo potissimum latinitatis saeculo obtinuerunt, formam, Gothicis et Longobardicis aliquando permixtam, accedunt, adeoque hae differunt a maioribus diplomatum litteris, quae teneris, acutis, pressim coaceruatis, et in longum deductis apicibus ductibusque sunt efformatae. CHRON. GOTTWIC. *T. I. L. II. p. 90.*

§. VIII.

Antiquiora et quidem Francica primae stirpis diplomata scripturam repraesentant barbaram, sinuosis litterarum ductibus deformatam, et miris flexibus distortam, ideoque lectu difficillimam, vti docent specimina apud MABILLON *T. V. Tab. 16. 17. 18. 19.*

§. VIIII.

De Merouingicorum Regum diplomatibus notandum est, inscriptiones et subscriptiones illorum maioribus litteris, quas vnciales vocant, expressas esse. Ipse vero contextus paullo minutiori, eademque vniformi scriptura constat. MABILLON *l. c. §. XII.*

§. X.

Aliam plane faciem scriptura praefert Caroli M. aeuo, quo paullatim detersa est barbaries, et litterae, quarum tenuiores sunt ductus, elegantiori formae restitutae sunt. Quae postea quoque retentae in ipsa Germanicorum Regum diplomata feliciter migrarunt. CHRON. GOTTWIC. *T. I. L. II. p. 90.*

H §. XI.

§. XI.

Maiores litterae Carolingicis temporibus primum ſemper verſum integrum occupant; id quod etiam in poſterioribus et Germanicis diplomatibus conſtanter obſeruatum eſſe, probant ectypa apud MABILLON *L. V. de re diplomatica Tab. 26. 30. ſq.* SCHANNAT in *Vindic. archiu. Fuldenſ. diplom. Tab. 5. 6. ſq.* et in CHRON. GOTTWIC. *T. I. p. 88.* et alibi paſſim. Patet hinc diſcrimen inter antiquiora Francica et Germanica diplomata, quia in illis primus verſus non integre abſoluitur litteris maioribus, ſed nudum tantum Regis nomen cum vulgato elogio expreſſum eſt. MABILLON *l. c. L. I. c. XI. §. 12.*

§. XII.

Porro obſeruandum eſt, maiores litteras, quae in principio et fine diplomatum occurrunt, teneris, acutis, preſſim coaceruatis, et in longum diductis apicibus effictas eſſe. In Francicis diplomatibus illae vtplurimum directae reperiuntur, in Germanicis vero nonnihil ſunt inflexae, et ſuperius criſpatae. Scriptura, quae criſpatis litteris conſtat, *tremula* vocatur. Vnde ſatis antiquam illam eſſe, quilibet animaduertit. *

* DAN. PAPEBROCHIVS in *Propyl. antiqu. P. I. c. I. §. 52. et c. III. §. 37. et 41.* exiſtimat, ſuſpecta eſſe diplomata Regum Francorum primae ſtirpis, quae maiores litteras praeferant, et criſpatas Ottonis I. demum aeuo inuectas eſſe. Vtrumque falſum eſt. Nam vti maiores litterae in plerisque Merouingicis diplomatis iam reperiuntur, cuius rei teſtis eſt MABILLON l. c.: ita criſpatas ſeu tremulas in Conradinis et Henricianis diplomatibus iam obſeruari, auctor eſt ILLVSTRISSIMVS ABBAS GOTTWIC. in CHRON. *T. I. L. II. p. 90.*

§. XIII.

Quum orthographia tempori non minus, quam ſcriptorum imperitiae ſeruiat; facile intelligitur, ſcribendi

bendi rationem, quae in diplomatibus obſeruatur, et variam et vitioſiſſimam eſſe. Tanto magis enim recte ſcribendi leges inſuper habitae ſunt, quod recti ſermonis in diplomatis ſcribendis nulla fere ratio haberetur. Hinc ad expoliendam peruerſam ſcribendi rationem, quae ſatis prodit ſaeculi barbariem, et multos errores peperit, Carolus M. in *Capitulari de anno* DCCCV. de ſcribis cauit, vt *ne vitioſe ſcriberent* apud BALVZIVM in *Capitular. Tom. I. Col. 421. n. 3.* *

* Itaque ad integritatem praeceptorum, ſiue diplomatum aeſtimandam ſcribendi ratio, quamtumuis alioquin corrupta, multum facit. Ac proinde prudenti conſilio orthographiam perpetuo filo cohaerentem, et cuncta fere ſaecula emetientem ſuadet Dn. SENCKENBERG *in Prodrom. iur. feud. §. 7.*

§. XIIII.

Vitia autem orthographica, quae in diplomatibus occurrunt, vel *adiectione*, vel *detractione* fiunt. Sic in diplomatis primae et ſecundae ſtirpis Francicae ſcriptum legitur *Chlothacarius*, *HLudowuicus*. Huc quoque pertinet, ſi *aecclesia*, *praesbyter* ſcribitur, vti non raro fit, a notariis.

§. XV.

Alterum orthographiae vitium conſiſtit in *detractione*, quae potiſſimum accidit in verbis, in quorum medio littera geminanda erat. Ita pro *reiicit*, *eiicit*, *eleemoſyna* fere ſemper legi *reicit*, *eicit*, *elemoſyna* obſeruat MABILLON *L. II. de re diplomat. c. I. §. 11.*

§. XVI.

Eaedem obſeruationes de vitiis orthographicis in Germanicis quoque diplomatibus locum hebent. Adiectionis exempla ex diplomatibus Henrici I. adfert

CHRON. GOTTWIC. *L. II. p. 140.* in vocabulis ecclesiarum, impressione, quae per diphthongum *ae* expressa reperiuntur, *aecclesiarum*, *impraessione.* Detractionis exempla itidem in illis occurrunt in vocibus *anuli* pro *annuli*, *dinoscitur*, loco *dignoscitur*, *domni* pro *domini*. Adde Dn. DE GVDENVS in *Praef. Syllog. varior. diplomatarior. p. 5.*

§. XVII.

Ad orthographiam quoque pertinent interpunctiones, quae iustum vocabulis sensum reddunt, et iustam in syllabis litterisque separationem constituunt. Has ignorant antiquissimi codices, in quibus litterae mirum in modum inter se connexae reperiuntur, vsque ad tempora Caroli M., qui Alcuini et Pauli Warnefridi opera, punctorum distinctiones vel subdistinctiones restituit. Quum vero in omnibus antiquioribus diplomatibus, quae MABILLONIVS in lucem protulit, et ne in Caroli M. quidem, Ludouici Pii et Lotharii diplomatibus vlla distinctio, vllum colon occurrat: nemo dubitabit, interpunctionum vsum serius in diplomatis obtinuisse. MABILLON *L. I. de re diplomat. c. XI. §. XX.* *

* Interpungendi rationem apud veteres iam vsitatam fuisse, discimus ex ARISTOTELIS *Rhet. III. 5.*, vbi difficile esse ait, scripta Heracliti interpungere eo, quod incertum sit, vtri vox coniungenda sit, priori, an posteriori. Scripsit quoque Nicanor, Grammaticus, tempore Hadriani περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου βιβλία ἕξ *de interpunctione in genere libros sex.* v. SVIDAS in *Lexico* v. Νικάνωρ. Romani singula verba vel punctis, vel litteris graecis Φ Ψ Δ, vel aliis signis notabant, vti hoc docent inscriptiones apud Gruterum, Reinesium, aliosque. Sed quum ita neque peri dus, neque sensus diuidatur; vix hoc interpunctionis no nen me etur. De origine, progressu et differentiis interpunctionum adcur .te disseruit Reu. Abbas Gottwicensis in CHRON. *T. I. L. I. §. VI.* vid. STRVVIVS in *Diss. de criteriis MSCtor. §. XV. sq.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Sed non multo post interpunctiones in diplomata quoque transierunt, quippe quae in Conradinis diplomatibus, scriptis tam vncialibus seu maioribus, quam minutioribus litteris, et vocabulis, adparent. Mera autem puncta pro interpunctionibus vsurpantur, quae ad medium vltimae litterae verbi in comprehensionis fine collocantur. Incisa vero, cola, ceteraque distinctionis signa aut penitus exulant e diplomatibus, aut, licet non plane veteribus incognita fuerint, rarissime tamen occurrunt.

§. XVIIII.

Nec aliae obseruationes, quae ad orthographiam pertinent, nobis sunt praetermittendae. Tales vero sunt, quae sequuntur:

I. Littera I in antiquis diplomatibus numquam puncto superne notatur, et saeculo XV. demum puncto insigniri coepit.

II. Littera Y modo sine puncto, modo cum singulis punctis in vtroque apice adscriptis, frequentius autem puncto in medio superne notata occurrit. MABILLON *l. c. §. 19.* CHRON. GOTTWIC. *L. II. p. 92.*

III. Litterula H vocibus praefigitur et immiscetur, quae illam plane respuunt. v. g. *hostium*, *heremita*, *habundare*, *perhennare.* Saepe quoque omittitur, vbi minime oportebat v. g. *ortus* pro *hortus*, *actenus* pro *hactenus*, *ypotheca etc.* Dn. DE GVDENVS l. c. p. 5.

§. XX.

Praeterea ex sedula veterum monimentorum contemplatione profluxerunt obseruationes, quas de litte-

ris quibusdam viri doctiſſimi dederunt. Operae pretium fuerit, illas hic veluti per lancem ſaturam exhibere.

I. Diphthongi tam in Francicis, quam in Germanicis diplomatibus non litteris in vnam conflatis per *æ*, ſed aut ſeparatis *ae*, aut per ſimplex *e* ſcriptae reperiuntur. Hinc Conringius eo quoque nomine Lindauienſe diploma, quod Ludouico Pio tribuitur, falſi poſtulauit, quod in vocabulo eccleſiae aliisque diphthongus *ae* coniuncta in eodem obſeruetur; id quod ab vſu Ludouiciani aeui prorſus alienum eſſe, praeclare docet in *Cenſura diplom. Lindauienſ. c. XVII. p. 316.* * Caeterum de diphthongis legas velim obſeruationes elegantes Schubarti, Omeiſii, Cellarii, Schurzfleiſchii in IO. FABRICII *reſponſione de orthograph. latin.* adiectas OCT. FERRARII *de pantomim. et mimis tr. p. 51.*

* Verba eius digna ſunt, quae hic legantur: *minor*, inquit, *eiusdem diphthongi ae forma adeo frequenter in diplomate occurrit; illa ſcilicet diphthongi figura neutiquam aeuo Ludouici Germanici fuit in vſu, ſed multo poſt demum coepit. Teſtantur id liquido illius tempeſtatis, quae ſuperant, et tabulae, et libri ſcripti quamplures. Etenim perfrequenter quidem a ſcribis et librariis omiſſa eſt diphthongi nota, et ſimplex vocalis e illius loco adhibita, quandocunque tamen diphthongi habita in ſcribendo fuit ratio, ſolet illa exprimi per diuiſas ae nunquam per æ litteris in vnam quaſi conflatis.* Quamquam vero in diplomatibus diphthongus ſemper, ſeparatim poſitis vocalibus, ſcribatur: attamen codices etiam antiquiores ſaepe diphthongum coniunctam praeferre, iam vidit MABILLON *de re diplomat. L. II. c. I. §. 2.* et pluribus exemplis probauit Reu. Abbas Gottwicenſis in CHRON. *L. II. p. 94.*

§. XXI.

II. Litterae CH aut coniunctim, aut ſeparatim a Francis quibusdam nominibus propriis praefiguntur. Sic CHILDEBERTVS pro HILDEBERTVS, CHE-

REBER-

REBERTVS pro EREBERTVS ſcribitur. V. LE BLANC *tr. hiſtoir. des Monnoies de France p. 47.*

III. Adſpiratio ſeu littera H ſemper litterae L et R in nominibus propriis praemittitur. Hinc in genuinis diplomatibus non reperies LVDOVICVS, ſed HLVDOVICVS, HLOTHARIVS, HRABANVS, non RABANVS. * Fruſtra autem ſunt, qui cum VALFRIDO STRABONE de *Rep. eccleſ. c. VII.* ſibi perſuadent, H hic denotare dominum, et initialem litteram eſſe Germanici vocabuli *Herr*, latini *herus*, quia et vrbium nominibus eadem littera praemiſſa reperitur, vti eleganter oſtendit laudatus LE BLANC l. c. Nec magis probabilis eſt coniectura FRANC. GVILLIMANNI de altera littera C, quam in eiusmodi nominibus idem denotare putat, quod *Cünig*. Neque enim Regum ſolum, ſed etiam ſacerdotum, monachorum, et plebeiorum nomina ita ſcripta et picta in veterum monimentis obſeruantur. Veroſimilius ergo eſt, quod in mentem venit doctiſſimo BLANCO l. c., factum hoc eſſe more Francorum, qui pleniore ſpiritu cuncta efferrent. Eamdem huius rei rationem reddit BARTHOL. SCHOBINGER in *addition. ad* IOACH VADIANI *Farrag. antiquit. praeſ. apud* GOLDASTVM *Script. rer. Alem. T. III. p. 85.* conf. HEINECCIVS de *Sigillis P. I. c. IX. §. 20.* et AVCTOR *iuſtae defenſ. Lindau. c. V. n. 2. p. 73.*

* Lapſus itaque eſt errore Lindauienſis diplomatis confictor, qui omiſſa littera H Rabani nomen contra morem ſaeculi IX. expreſſit, id quod luculenter recentioris aeui partum arguit, iudice TENZELIO in *Vindic. pro Conringii cenſura cap. X. n. 3.* extremo. Exſtat in GOLDASTI *Tomo II. rerum Alemann.* catalogus nominum propriorum ex vetuſtiſſimo Codice Monaſterii S. Galli ordine deſcriptus,

ptus, in quo haec habentur: *HLothart, HLudouic, HRanfrid, HRotold, HRuadbert* et similia, quae constanter hoc ab aliis etiam scriptoribus obseruatum esse probant.

§. XXII.

IV. Littera *a* saepe in *o* mutata olim est, praesertim in nominibus propriis, vti Reginaldus, Reginoldus, Arnaldus, Arnoldus, quae mutatio diuersum non facit hominem. v. CHR. GEWOLDVS *ad* HVNDII *Metropol. Salisburg. T. I. de Ratispon. Episcop. p.* 246.

§. XXIII.

V. C. maiusculum plerumque ipsis diplomatum initiis praeponitur, et quidem vel variis ductibus implicatum, vel nudum sine vllis aliis ductibus. vid. *Specimina in* CHRON. GOTTWIC. *T. I. L. II. p.* 159. 161. 193. 209. 229. et alibi passim. Nihil aliud autem C illud significat, quam *caput*, seu initium chartae esse eo loco, quo positum cernitur. * Si ductibus insignita est illa littera: *Chrismon* speciatim vocatur, quod innuit AVCTOR *Syntagm. dictandi* ap. MABILLON. *L. VI. de re diplomat. n. CCVII.* vbi de priuilegiis seu diplomatibus Pontificum Roman. ait: *signum autem in exordio priuilegii vel* CHRISMON *etc.* Pluribus hoc docte illustrauit V. C. BARING in *Obseruat.* elegantissima de *Significat. litterae C. in diplomatum antiq. fronte posita*, quae exstat in eius *Claue diplomat. p.* 102. vbi exhibetur diploma Wicmanni Archiepiscopi Magdeburgensis, cui nudum C praefixum est.

* Ratio inde constat, cur litterae maiores, quae ab initio ponuntur, *capitulares* vel *capitales* dicantur. EKKEHARDVS de *Casibus S. Galli cap. I. de Carolo M.* ait: *Lineandi et capitulares litteras creandi gnarus*,

§. XXIIII.

§. XXIIII.

Vti in codicibus antiquis occurrunt compendiariae scribendi notae, quas vulgo abbreuiaturas vocant: ita quoque illae ex his in diplomata sunt deriuatae. Quum vero lectu admodum difficiles sint: facile est ad intelligendum, crucem illas figere iis, qui antiqua monimenta explicare cupiunt. Nec mirum est, ex male intellectis istis litterarum compendiis complures, eosque insignes errores natos esse tam in historia, quam in re diplomatica, quod exemplis aliquot eleganter ostendit vir doctissimus DAN. EBERH. BARING in *Clauis diplomat. Praef. p. 16. sq.*

* Praeclare de rei diplomaticae studio mereretur, qui per saecula eundo abbreuiaturas cuiusuis aetatis diplomatibus proprias colligeret, modumque legendi illas ostenderet. Et sane dolendum est, intercepisse nobis fata egregium et vtilissimum opus de abbreuiaturis Germanorum, quod molitus est NIC. STAPHORSTIVS. Oeconomiam huius libri vide apud V. C. BARING p. 34. Ipse hic vir egregius summam rei diplomaticae studiosorum gratiam iniit, editis speciminibus scripturarum et abbreuiationum medii aeui, quae Claui diplomaticae subiunxit.

§. XXV.

Apud Romanos iam vsitatas fuisse notas, satis constat ex scriptoribus, qui de notis veterum, in primis Romanorum, egerunt, nimirum Tirone, * Ciceronis liberto, Valerio Probo, et Petro Diacono, quos recensuit IO. ALBERT. FABRICIVS *P. I. Bibl. latin. p. 774.*, et iunctim edidit PETR. BVRMANNVS in *T. II. Thesauri Inscription. Gruteriani.* Conferas velim viri illustris et summe venerabilis ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI exquisitae doctrinae plenam dissertationem *de Siglis.* Huc quoque pertinet egregius SERTORII VRSATI li-

 ber

ber de *notis Romanorum*, qui exstat in *Tomo XI. Thesaur. Antiqu. Graeu. p. 751.* et I. A. ERNESTI *Clauis Ciceron. h. v.*

* Alphabetum Tironianum, f. notas Tironis explicandi methodum etc. Lut. Paris. an. 1747. edidit P. Carpenthier O. S. B.

§. XXVI.

A Romanis procul dubio ista litterarum compendia acceperunt Christiani, qui summo studio vsum illorum conseruarunt, et ad posteriorem aetatem propagarunt. B. G. STRVVIVS in Dissertat. de *criteriis MSCtor. §. XIV. XXII. XXVI.*

§. XXVII.

In antiquioribus primae stirpis Francicae diplomatibus, quae occurrunt compendia, tortuosos repraesentant ductus, vti docent specimina apud MABILLON *L. V. de re diplomat.* Paullo distinctior magisque lectu facilis est forma illarum, quae in Carolinis reperiuntur diplomatis, quod itidem testantur schemata, quae MABILLON l. c. exhibet. Nec Germani ignorant notas, quas praesertim in diplomatum litteris maioribus in vocibus *Domini Dni*, *Dei Di*, *Ihu Iesu*, *Xpi Christi*, *Sc̄i sancti*, *nri nostri*, *gra gratia*, *induae indiuiduae* et similibus obseruamus. *

* Quum vero abbreuiationes ad occultam scripturam quodammodo referri possint; insignem hic vsum praestat *ars decifratoria*, quae quomodo antiqua monimenta obscuris litterarum ductibus referta legi et explicari queant, docet. Eleganter eam tractat et praeceptis illustrat CHRISTIANVS BREITHAVPT de *arte decifratoria* Helmstadii an. CIↃIↃCCXXVII. vbi et Cap. V. de vsu huius artis in re diplomatica egregie disserit.

  

CAPVT

CAPVT II.

DE MONOGRAMMATIBVS.

§. XXVIII.

AD notas a nonnullis referuntur *monogrammata*. Sed quum rectius haec ab illis distinguantur, et in externis diplomatum notis praecipuum locum teneant: non abs re facturi videmur, si peculiare illis caput damus.

§. XXVIIII.

Monogramma nobis est *character singulas nominis litteras, vario ordine dispositas, exprimens.* Ita SIRMONDVS in *Notis ad Capitular. Regum Francor. T. II. p. 791.* edit. Baluz. illud describit per notam et characterem, qui cum vnica littera videtur, omnes tamen nominis litteras exprimit, quem sequitur MABILLON *L. II. de re diplomat. c. X. §. X.* *

* Ipsa monogrammatis vox raro occurrit in diplomatibus, sed aliis denotatur nominibus. Vocatur enim *character*, vti in charta Ottonis II. apud BECMANNVM in *Histor. Anhalt. P. III. p. 429. character nominis, regius character, signi character* in dipl. Conradi III. apud SCHANNAT *Vindem. litter. coll. II. p. 117. n. 9. nominis figura, manus propriae nota, manus signum*, et *signum* simpliciter, quod postremum monogrammatis synonymum omnium antiquissimum est, et quo perpetuo vti solent notarii in formula indicationis, quae monogrammati adponitur.

§. XXX.

Ratione formae monogrammata sunt vel *cruciformia*, quae crucem repraesentant, vel *quadriformia*, quae quadratam exhibent figuram. In cruciformibus medius pro centro rhombus supplet locum vocalium, in ipso nomine occurrentium, et reliquae litterae conso-

nae ſingulae ſunt expreſſae, et arbitrario ordine diſpoſitae. Vis exemplum, quo clarius hoc fiat? en! monogramma Caroli M. quod cruciforme eſt, et talem formam refert



In medio huius figurae, qui occurrit rhombus ◊, vocalium A O V locum ſupplet, * et conſonae K R S L extremis linearum adhaerent. Habes ergo hic nomen KAROLVS.

* Huius rei ratio in procliui eſt. Ipſe enim rhombus ◊ conſtituit O quadratum. Superior eius angulus, cui binae lineae, quae verſus centrum rhombi coeunt, inſertae ſunt, praefert litteram A. Inferior autem angulus litteram V producit.

§. XXXI.

Cruciformia porro diuiduntur in *ſimplicia* et *compoſita*. Illa ſunt, quae ſimplicem crucem ſingulis litteris ad extremam linearum partem adhaerentibus ſiſtunt; haec vero, praeter ſimplicem crucem, etiam decuſſatam intra quadraturam oſtendunt, litteris orbiculari figura apices litterarum tenentibus. V. C. GOTTFR. LEONH. BAVDIS in Diſſ. qua *ad analyſin Monogrammat. Imp. ac Regum German. Praeparationem* ſiſtit §. VII.

§. XXXII.

Quadriformia conſtant *littera fundamentali quadrata, cui reliquae litterae vel inneſtuntur, vel inſeruntur, vel per contignationem adduntur.* Litterae quadratae ſunt H M N, quae

quae binis fulcris inſtructae facile conficiunt quadratum, ſi duae obliquae adhuc accedunt. *

* Hae litterae obliquae mentales ſunt, h. e. ſubintelligendae, quia praeſentia illarum non ſolum elegantiae monogrammatis aduerſa foret, ſed litterarum quoque ſtatum turbaret.

§. XXXIII.

Innexio litterarum fit per implexionem litterae in ipſa linea; *contignatio* per contiguitatem litterae cum linea; *inſertio* per collocationem litterae in partibus vacuis quadraturae.

§. XXXIIII.

Iuuabit rem illuſtrare exemplo monogrammatis Ludouici Pii, cuius figuram hic adpoſuimus:



Quadriforme hoc eſt monogramma, et nomen HLVDOWICVS continet. Fundamentalis in eo littera eſt H a Francis litterae L praemitti ſolita. (§. XXI.) Dextrum fulcrum linea transuerſali inferne addita repraeſentat L. Lineolae ex vtriusque fulcri inferioribus angulis procurrentes inſeruiunt vocali V, quippe quae quater in nomine recurrit, producendae. Ex curuatura in fulcri dextri parte ſuperiori littera D per contignationem formatur. Vocales O et I per inſertionem adiectae ſunt, illa ſuper lineam transuerſalem, haec infra illam collocata. C Francicum, ſeu quadra-

 tum

tum dimidiatum [in finiſtro fulcro conſpicitur. S denique in eiusdem litterae medio ad laeuam poſitum exſtat.

§. XXXV.

Monogrammata, quae tantummodo principis nomen proprium continent, vocantur *nominalia;* quae vero praeter nomen proprium titulos etiam, qui cuique Imp. et Regi placuerunt, complectuntur, *titularia* adpellantur. Et haec rurſus in *regia*, ſeu ea, quae Regibus noſtris, nondum imperiali dignitate conſpicuis, ſolemnia fuerunt, et *imperialia*, quae iisdem ad imperii faſtigium euectis, in vſu fuerunt, recte diſpeſcuntur.

§. XXXVI.

Origo monogrammatum * cruciformium in diplomatibus recte nobis arceſſenda videtur a conſuetudine Chriſtianorum veterum, qui contractus aliaque inſtrumenta crucis ſigno notabant, eidemque nomen adſcribebant. DAN. PAPEBROCHIVS in *Propylaeo antiqu. P. I. cap. IV. n. 54.* Quemadmodum enim crucis ſignum commune veluti ſymbolum Chriſtianorum habebatur; ita quoque vix quisquam nomen ſuum ſcribebat, quin crucem illi praemitteret. HIERONYM. *comm. in Ezechiel. c. 9. Chriſtiani frequenti manus inſcriptione ſignabant crucem.* conf. V. C. CONRADI *parerg. p. 462. §. 10.* Factum inde eſt, vt iam antiquitus ſignum hoc pro fide et ſubſcriptione in inſtrumentis cederet, quod eleganter ſummus ICtus IACOBVS CVIACIVS in *Paratitl. ad Cod. L. I. T. VIII.* obſeruauit ex *L. vlt. §. 2. C. de iure deliber.* qua diſerte Iuſtinianus ſanxit, vt heres, rudis ſcribendi, hereditatem adiens, inuentarium, litteris ab aliis

ſub-

subscriptis, crucis signo, sua manu subnotet. ** v. CHRISTIAN. WILDVOGEL *de venerabili signo crucis Cap. III. §. 12. sq.*

* Antiquissimum sane siglarum et monogrammatum vsum, et ipso quoque Romano imperio vetustiorem, Graeci passim, Smyrnensium, Patrensium, Panormitanorum, Heracliensium, Apolloniatarum, Agrigentinorum, Archaeorum, Epirotarum, aliorumque numi ostendunt; vsu a Graecis ad Romanos translato, et in monimentis imperii florentis quoque conspicuo. vid. viri celeberr. IO. DANIEL. SCHOEPFLINI *tract. historicus de apotheosi p. 13.* De hoc ipso argumento disseruit quoque V. C. SCHLAEGER, *de numo Alexandri M.*

** Hinc per signum, quo nomine crux domini semper denotabatur, medio aeuo nihil aliud intellectum est, quam subscriptio. CAROLVS DV FRESNE in *Glossar. med. et infim. latinit. v. crux et signum.* Probari hoc potest exemplis quamplurimis ex traditionibus Fuldensibus, Werthinensibus, Frisingensibus, aliisque similibus. Exstat apud GOLDASTVM *Scriptor. rer. Alemann. T. II. P. I. n. XVII.* charta permutationis, in cuius fine haec habentur: *Actum in Chiricheim in cubiculo regis publice praesentibus istis, quorum hic signa continentur. Sign. Totoni, qui hoc concambium cum Grimaldo Abbate et aduocato suo Libone perpetrauit. Sign. Witperti, † Pero, † Vuolunini, † Hagano, † Libo iunior, † Vto, † Isanbart, † Erchanfrid, † Ridhard, † Meginbert, item † Vto, item † Vuitperi. Ego itaque Theodhardus Praepositus vice Remmingi, presbyteri rogatus scripsi et subscripsi. Notaui diem Martis II. Non. April. an. XXVII. regni HLudowici in orientali Francia sub Karolo Principe eiusdem HLudouuici Regis filio.*

§. XXXVII.

Quum vero monogramma instar subscriptionis sit, et ideo *signum* quoque audiat: nihil sane prohibet, quo minus illud in crucis locum successisse existimemus. Antiquior tamen illorum vsus fuit in operibus musiuis et aulaeis basilicarum, quam in diplomatibus, siquidem ex illis exempla, quae habet, omnia repetit HRABANVS

NVS MAVRVS, de *inuent. lingu. et not. antiqu.* ap. GOLDASTVM *Script. rer. Alemann. T. II. P. I. p. 70.*

§. XXXVIII.

Ex his iam facile conftabit, cur in plerorumque ex Merouingica ftirpe Regum Francorum diplomatum fubfcriptionibus crucis fignum adpareat. Porro inde colligi poteft, omnium antiquiffima effe monogrammata cruciformia, quippe quae nihil aliud funt, quam cruces litteris nominis ipfi cruci adnexis ornatae. PAPEBROCH l. c. CHRON. GOTTWIC. *T. I. P. I. L. II. c. I. §. 10.*

§. XXXVIIII.

An vero Carolus M. primus monogrammatibus vfus fit in diplomatis, quod fibi perfuadent IO. NIC. HERTIVS de *fide diplom. german. Sect. I. §. VII.* perilluftris IO. PETR. A LVDEWIG in *Diff. de fcript. et fubfcript. nexu c. IV. §. VI.* aliique, non fatis expeditum eft. Sane ratio introducti ab eo in diplomata illorum vfus, quam in illius imperitia fcribendi, de qua teftatur EGINHARDVS in *vit. Caroli M. c. XXV.* quaerunt, rem non conficit. * Immo aperte hanc fententiam refellit charta Clodouaei iunioris apud MABILLON *de re diplom. L. V. Tab. XVIII. n. I.* et locus in *vita S. Baboleni*, quem adfert Reuerendiffimus Abbas Gottwicenfis in CHRON. l. c. qui ita fe habet: *fed et ipfe Rex Clodouicus fauens fubfcripfit, et fuo monogrammate facto annulo regio infigniri iuffit.* Dubium ergo non eft, iam ante Carolum M. monogrammata in diplomatis, fed raro admodum, et a quibusdam modo Francorum Regibus effe vfurpata.

* Nemo

* Nemo non intelligit, difficilius esse monogramma, quam litteras effingere. Parum itaque sibi consuluisset Carolus, ne *scribendi quidem satis peritus*, si monogrammatis schema elegisset. V. C. HEVMANNVS *in miscellaneis Lips. nouis Vol. III. P. I. p. 124.* coniecturam proponit elegantem quidem, vt Carolum M. ab imperitiae scribendi nota vindicet. Verba nempe Eginhardi c. 25. emendat, et pro litteris, *versibus* legendum putat. Verum ne sic quidem difficultas omnis sublata videtur. Ne enim Carolum imperitum poetices existimemus, facit Eginhardus ipse, qui illum carmina heroum antiquissima condidisse testatur. c. XXVIIII. Deinde ex Eginhardi verbis nihil aliud colligi potest, quam Carolum non satis concinne scribere didicisse. Etenim eum non plane rudem fuisse ducendi litteras, saltim nominis, argumento sunt diplomata haud pauca Carolina, quorum subscriptiones propria eius manu factae sunt. Luculenter etiam poeta Saxo apud LEIBNITIVM *T. I. Scriptor. rer. Brunsuicens. p. 163.* de eius exercitio scribendi testatur. Elegans est sententia PETRI LAMBECII in *Comm. Bibl. Vindobon. L. II. c. V. p. 262.*, quam non possum non probare. Existimat is, Eginhardum priori loco intelligendum esse de studio Caroli M. maiusculas litteras effingendi, idque parum feliciter illi successisse. Sic recte sibi constare videtur Eginhardus.

§. XL.

Certior et constans monogrammatum in diplomatibus vsus a Carolino demum aeuo obtinuit. Cruciformes autem monogrammatis figuras neglexit Ludouicus Pius, et quadratas adoptauit, * quem sequuti sunt successores eius omnes, si excipias Carolos, Caluum scilicet, Crassum, Arnolphum, et vnum ex Regibus et Imp. Germanicis Conradum I., qui cruciformia monogrammata retinuerunt.

* Rationem huius rei hanc reddit PAPEBROCHIVS in *Propyl. antiqu. P. I. c. IV. §. 57.* quod ad rhombum efformandum litterae in nomine Ludouici defuissent, et aptius primae litterae H quam cruci ceteras litteras adiungi posse, visum esset. Caue vero idcirco credas, Ludouicum Pium auctorem esse cruciformium. Nam iam ante eum eiusmodi species in basilicis Italiae vsitatas fuisse, egregie obseruauit V. C. BAVDIS in *Praeparat. ad analys. monogramm. §. XIV.*

§. XLI.

Titularia monogrammata, quae paullo ante deſcripſimus, ab Ottonis II. Imp. temporibus inualuerunt. Hic enim Imperator factus titulum IMPERATORIS AVGVSTI nomini ſuo adiecit, quem morem dein ſucceſſores eius conſtanter obſeruarunt. CHRON. GOTTWICENSE *T. I. P. I. L. II. c. VI. §. 5. p. 228.* Vnde non audiendus eſt PAPEBROCHIVS *Propyl. antiqu. P. I. c. IV. §. 60. ſq.* qui Henricum II. primum auctorem titularium facit. Nec quemquam mouere debet IO. NIC. HERT, qui in Comm. *de fide diplom. Sect. I. §. VII.* auctoritate ZYLLESII ductus, ſcribit, poſt Conradi Salici demum tempora monogrammata regiae dignitatis nomina habere coepiſſe.

§. XLII.

Pictura monogrammatis vel ab ipſis Regibus et Impp., vel iuſſu illorum a notariis conficiebatur. Vtrumque factum eſſe, luculenter clauſulae commemorationis in diplomatis ſolemnes loquuntur. Talis eſt Caroli M. *noſtrae manus ſignaculis chartam affirmare decreuimus*, apud ZYLLESIVM in *defenſ. abbat. S. Maximini P. III. n. 4.* Ottonis II. *hanc chartam connexis etiam nominis noſtri litteris, ſubtus quodam charactere per obliquum ducto more noſtro firmauimus;* apud Cl. SCHANNAT in *Vindic. dipl. arch. Fuldenſ. p. 93.* Exarati a notariis regii vel imperatorii characteris exempla habes in dipl. Ludouici Pii ap. D'ACHERY *Spicileg. vet. Scriptor. T. VIII. p. 140. eam chartam nominis noſtri charactere muniri iuſſimus.* In dipl. Friderici I. ap. SCHANNAT in *Vindem. litt. coll. II. p. 117. ſigni noſtri charactere firmare praecepimus.* Plures legas velim apud BAVDIS *Praeparat. ad analyſ. §. XIX.*

§. XLIII

§. XLIII.

Quum monogramma in locum crucis, quae pro ſubſcriptione olim cedebat, ſurrogatum ſit (§. XXXVII.): obſcurum eſſe nequit, ſubſcriptionis vice illud in diplomate fungi. Hinc formulae ſolemnes, quae in fine diplomatum leguntur: *manus propriae notam addidimus, manu noſtra*, item *regali imperiali firmauimus, roborauimus, ſignauimus, ſcripſimus, ſubſcripſimus*, item *cum ſubſcriptione corroborauimus*, aliaeque, addita ſaepe demonſtratione *ſubtus, ſubter, vt infra videtur, vt ſubtus apparet, vt infra poterit videri,* quibus monogrammata diſerte innuuntur.

§. XLIIII.

Quum ergo monogramma pro ſubſcriptione ſit: poſt completum praeceptum illud ponendum eſſe, recte cenſet *Auctor vetus ſyntagmatum dictandi*, ſupra laudatus. In Carolingorum diplomatis ante datam intra ipſam indicationis formulam reperitur, et quidem vsque ad Carolum Caluum ſemper vocem ſigni excipit, vti teſtantur ſpecimina apud MABILLON L. V. *de re diplomat. Tab. 23. 24. 26. 30. 31.* Succeſſores vero poſt nomen proprium, aliquando etiam, ſed rarius poſt vocem domini illud adponunt. v. CHRON. GOTTWIC. in *Tabulis p. 89. 140. 142.* Sub poſterioribus Regibus ac Impp. valde quoque variatum eſt, nec idem ſemper locus monogrammatis fuit.

§. XLV.

Tandem monogrammata, ſigna auctoritatis regiae et imperatoriae certiſſima, et argumenta plenae fidei,* multorum ſaeculorum vſu probata, poſt Fridericum III. aliis IV. Maximiliani I. patrem, ſaeculo XV. fere exoleuerunt. ** HERTIVS de *fide dipl. Germ. Sect. I. §. VII.*

perill. IO. PETR. DE LVDEWIG in *Comment. ad A. B. T. XXVI. §. 2. Tom. II. p. 585.* Succeſſerunt tum in locum illorum litterarum per conſequentiam ſubſcriptiones, eam forte ob cauſſam, quod ingenioſa notariorum induſtria monogrammatis characterem tam intricatum redderet, vt effingere illum Imperatoribus perquam taedioſum videretur.

* Id quod ſatis luculenter ex ipſis formulis in commemorationum clauſulis vſitatis intelligitur, qualis eſt: *vt haec auctoritas ſui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manus noſtrae ſubſcriptione eam firmauimus.*

** Diſſentiunt hic viri eruditi, et alii cum Friderico II., alii cum Carolo IV. monogrammatum vſum intercidiſſe, alii poſt Maximilianum I. illa negligi coepiſſe exiſtimant. Sed in viam facile eos reduxeris, ſi diuerſas monogrammatum epochas ſtatuas. V. C. BAVDIS *c. l. §. XXVII.*

§. XLVI.

Equidem Carolus IV. in chartis ſolemnioribus monogrammata veluti poſtliminio in vſum reuocauit, ſed nullum ex ſucceſſoribus nactus eſt imitatorem. Subſcriptiones *manu propria*, quae in locum monogrammatum ſucceſſerunt, inuenit Maximilianus I. Hic enim diploma ampliſſimum de an. MCCCCLXXXVI., quo iuri imperii in ciuitatem Moguntinam renunciauit, ſequenti muniuit formula: *Nos Maximilianus Romanorum Rex ſupra ſcripta recognoſcimus per manum ppr.* Dn. DE GVDENVS in *Praef. Syllog. varior. diplomat. p. 28.*

§. XLVII.

Quum vero dudum obſeruatum ſit, adcuratam horum ſignorum cognitionem permultum conferre ad ſubolendas et detegendas diplomatum fraudes: nihil reliqui fecerunt viri doctiſſimi, vt monogrammata Impera-

peratorum et Regum Germanicorum inde a Caroli M. aeuo colligerent, et ſchemata illorum oculis ſubiicerent. Inter hos eminent SEBAST. MVNSTER in *Coſmograph. Lib. III.* * NICOL. ZYLLESIVS in *Defenſ. Abbat. imperial. S. Maximini P. III.* OCTAVIVS STRADA in *Vitis Imperator. et Caeſar. Romanor.* ONVPHR. PANVINIVS de *Princip. Roman. L. IV.* CAROLVS DV FRESNE in *Gloſſario v. Monogramma.* DAN. PAPEBROCHII in *Propyl. antiqu. P. I. c. IV.* Vna cum diplomatibus monogrammata eleganter aeri inciſa exhibentur in CHRONIC. GOTTWIC. *Tomo Prodromo.* Adcurate quoque illa repraeſentauit vir magni nominis IO. DAVID KOELER in *Hiſtor. Imp. Germ.*, quae opus hoc praeſtantiſſimum mirum in modum ornant. Ex hisce aliisque probatiſſimis auctoribus ſingulorum Imperatorum ac Regum Germanorum monogrammatum ſchemata deſumta, et in peculiari tabula delineata cum cura et inſigni doctrinae adparatu explicauit V. C. GOTTFR. LEONH. BAVDIS in *Analyſi Monogrammat. Impp. ac Regum Germ. a Carolo M. vsque ad Conradum III.* Cui iungenda eſt *praeparatio ad hanc analyſin;* quibus binis commentationibus egregie hanc rei diplomaticae partem perpoliuit.

* Optima huius operis editio eſt, quae prodiit Baſileae apud Henr. Petri an. 1550. ideo reliquis praeferenda, quia in hac monogrammata repcriuntur, quae fruſtra in aliis quaeſiueris. Vtinam et diplomata addidiſſet laudatus MVNSTERVS.

§. XLVIII.

Sed haec de monogrammatibus ſufficiant. Nunc reſtat, vt regulas, quae huc pertinent, omnes collectas, vno quaſi faſce complectamur. Quum conſtans nec interruptus monogrammatum vſus inde a Caroli M. temporibus vsque ad Conradum III. viguerit; facile

patet, genuina huius aetatis diplomata, * complicato hoc charactere vix fine periculo νοθείας carere posse.

* De autographis hoc tantum accipi velim. In apographis enim frequenter admodum monogramma omissum est, quia illud fere otiosum credebat monachorum vulgus. Nemo non videt, maximam diplomatis vim pendere a subscriptione Principis: sed quum huius vice fungeretur monogramma; abesse sine illud non potuit ab authentico diplomate. Recte proinde BALDVS ad *L. 3. Bene a Zenone C. de quadriennii praescriptione n. 4.* fidem instrumento derogat, in quo signum non adpareat. Per signum monogramma intelligit, vtpote quod verba eius liquido ostendunt. Ita vero ait: *sequitur in textu;* ex epistalmate, *glossa exponit, quod istud est, quod Imperator facere solet: vel est scriptura, quam ipse Princeps scribit, et ideo, cum omnes Caesares habeant de consuetudine in medio quorumcunque instrumentorum, procedentium de aula Caesarea, facere* CERTAS LITTERAS GROSSAS CVM CERTIS LINEIS, *si illud signum non inuenitur, tale instrumentum nullius est momenti.* Itaque pro apochis tantum, non pro authenticis haberi debent diplomata ex hoc aeuo, quae fine monogrammate occurrunt. V. C. BAVDIS in *Analysi monogrammat. Impp. ac Regum Germanicor.* §. *XXXV.*

§. XLVIIII.

Quumque Reges Francicae stirpis Caroli omnes, itemque Arnolfus, et ex Regibus Germanicis Conradus I. non nisi cruciformibus, reliqui vero quadriformibus monogrammatibus vsi sint (§. XL.): consequens est, vt pro spuriis haberi debeant, quotquot his cruciformia, illis vero quadrata adfinguntur. *

* Regula haec tam certa est, vt et impostores parce contra eam peccarint, et non nisi pauca exempla contraria reperiantur. Arnolfo tamen quadriforme monogramma tribuitur apud CHRISTOPH. BROWERVM in *Annal. Treuirensf. T. I. L. IX. p. 436.* et cruciforme Ludouici Pii monogramma habetur in FERDINANDI VGHELLI *Italia sacra Tom. VIII. p 45.* quae manifesto falsa esse, quilibet facile per se intelligit.

§. L.

Diximus titularia monogrammata Ottonis II. Imp. tempo-

temporibus primum coepiſſe. Vnde iam ſponte liquet, omnia, quae aetatem iſtam anteuertunt monogrammata, nominalia eſſe, et titularia, quae Principibus prioribus tribuuntur, merito reiicienda. *

* Vix ergo dignum refutatione eſt monogramma Henrici I., quod imperiale nomen complectitur, et aeri inciſum exhibet CAROLVS DV CANGE in *Gloſſario v. monogramma*, quia potius Henrico II. Imp. conuenit, cui illud proinde vindicauit REV. ABBAS GOTTWICENSIS in CHRONICO *T. I. P. I. L. II. c. II. §. V. p. 141.* Sic quoque DANIEL PAPEBROCH in *Propyl. antiquar. P. I. cap. IV. §. 60.* recte falſi damnauit omnia Ottonis M. titularia monogrammata. Tale vero occurrit in HENR. MEIBOMII *Scriptor. rer. German. Tomo I. p. 752.*, quod praeter nomen titulos IMPERATOR AVGVSTVS refert.

§. LI.

Quamquam ex communi Dd. ſententia diuerſitas manus vel atramenti ſuſpectum reddit inſtrumentum, quod ab vno homine eodemque tempore ſcriptum perhibetur: aliter tamen ſe res habet in monogrammate. Quum enim vel Principes ipſi, vel iuſſu illorum alii illud ſubnotarent: nihil ſane fidei eius detrahi poteſt ideo, quod alia manu, vel alio atramento, quam ipſa charta ſcriptum reperiatur. Nonne fieri potuit, vt alius notariorum monogramma effingeret, alius vero ipſam chartam conſcriberet?

§. LII.

Denique ex definitione monogrammatis facile conſtabit, in falſi ſuſpicionem venire monogramma, in quo litterae reperiuntur, nomen aut elogium non intrantes. Quis enim credat, Principem aut notarium monogramma pingentem, ignoraſſe, quibus litteris nomen aut titulus conſtet? Idcirco non ſit veroſimile, addidiſſe eum litteras, quas ad formandum monogramma nequaquam pertinere

pertinere, vel ſtupidus intelligeret, praeſertim quum quilibet Principum in promtu haberet ſpecimina, in quibus nec abundaret, nec deficeret quidquam litterarum.

CAPVT III.
DE
SIGILLIS.

§. LIII.

Externis diplomatum notis porro accenſentur ſigilla, quae nobiliſſimam rei diplomaticae partem, et praecipuum de fide chartarum κριτήριον conſtituunt. Quemadmodum vero ſigilla ideo gentibus placuerunt, vt ope illorum auctoritatem fidemque pleniſſimam litteris inſtrumentisque conciliarent: ita quoque nemo non animaduertit, *ſigna illa eſſe diplomatibus maioris fidei cauſſa vel impreſſa vel adpenſa.* *

* Hinc formulae diplomatum ſolemnes, quibus annexi ſigilli auctoritas ſingulari formula inculcatur: *non abs re viſum eſt, vt huius formae inſtitutio inconcuſſa et irrecuſa maneat,* SIGILLI IMPRESSIONE *rem ſtabiliter roborare* item: *ne praedictus quisquam deinceps inquietare, moleſtare, perturbare praeſumat praeſentis paginae conſcriptione, ac* SIGILLI MEI *impreſſione eos in perpetuum communiui. Ad perpetuam huius largitionis confirmationem praeſentis paginae teſtimonium* SIGILLI MEI *impreſſione communiui,* et quae ſunt aliae. De ſanctitate ſigillorum conſule BOEHMERI diſſ. de iure ſigilli authent.

§. LIIII.

Iam vero primo omnium obſeruanda eſt alia vocis ſigilli ſignificatio, quam ſupra iam attigimus. Saepe enim ſigillum ipſum inſtrumentum ſeu diploma denotat. Ita LEX ALAMANNORVM *T. XXVII.* ait: *ſi quis ſigillum Ducis neglexerit, aut mandatum vel ſignum qualecun-*

qualecunque, quod mandauerit, duodecim solidis sit culpabilis. Hic enim manifesto sigillum pro edicto ducis accipitur, sigillo corroborato. Plura huius rei exempla obseruauit CAROLVS DV FRESNE in *Glossario v. Sigillum.*

§. LV.

Antiquissimum sigillorum vsum apud Francos loquuntur GESTA FRANCORVM *Cap. XII. Requirentes inuenerunt in thesauro Regis annulum Clodouei inscriptione vel imagine insculptum*, et GREGORIVS TVRONENSIS *L. V. cap. III. Siggonem Referendarium annulum Sigeberti tenuisse scribit.* add. MABILLON *L. II. de re diplomat. c. XIV. c. XVI.* De veterum sigillis eorumque origine et progressu eleganter disputat V. C. EV. OTTO de iurisprudentia symbolica c. XIIII. p. 81. et paullo ante p. 75.

§. LVI.

Apud Germanos sigillorum vetustatem satis euincit Charta Arnolfi Ducis Boioariorum de an. DCCCC LXXXIII. apud MEICHELBECK in *Chron. Frisingens. P. I. p. 429.* in qua sigilli in subscriptione mentio fit: *iussimus ei hoc praeceptum auctoritatis nostrae conscribi, et vt nunc per futura tempora melius credatur, et firmius obseruetur, sigilli nostri impressione insigniri fecimus.* Quin et antiquioribus Germaniae Ducibus sigilla iam vsitata fuisse, clarissimis argumentis probauit Reu. Praesul Gottwicensis in CHRON. *T. I. L. II. §. XII.*

§. LVII.

Quatuor autem circa sigilla obseruanda sunt I. materia sigillorum II. modus annectendi sigilla III. effigies Regis vel Imperatoris, quae in sigillo repraesentatur, et denique IV. inscriptiones sigillorum. Materia

 sigillo-

ſigillorum varia eſt, et potiſſimum quadruplex, aurea, argentea, plumbea et cerea. IO. MICHAEL HEINECCIVS de *Sigillis veter. Germanor. P. I. c. IV. V. et VI.*

§. LVIII.

Praeualuit autem cera in ſigillis ob materiae vilitatem et mollitiem caeteris ad vſum adcommodatior: ideoque in antiquiſſimis chartis diplomatisque tam Francicis Merouingicae et Carolingicae ſtirpis apud MABILLONIVM, quam Germanicis, vtpote Conradinis, quae exhibet CHRON. GOTTWICENSE L. II. Henricianis, Ottonianis aliisque cerea ſigilla frequentius reperiuntur. Variatum quoque eſt in colore cerae in ſigillis vſurpatae. Alba cera ſub ſtirpe prima et ſecunda Regum Francorum, aliquando paullum rubricata obtinuit auctore MABILLON *L. II. de re diplomat. c. XVI.* Idem cerae color obſeruatur in ſigillis diplomatum Conradinorum et Henricianorum, vti teſtatur CHRON. GOTTWIC. *L. II. Cap. I. §. XIII.* item Ottonis M. quod oſtendit BENIAMIN LEVBER *in Magdeburgiſchem Stapel-Unfug n. 1572.* et ſequentium imperatorum ſigilla pleraque candidae cerae impreſſa reperimus.

§. LVIIII.

Quamuis vero WILTHEMIVS in *Vindic. hiſtor. pro Cenſura Conring. p. 87.* antiquiſſima Francorum ſigilla luteum colorem prae ſe ferre exiſtimet, eumdemque omnium primum in diplomatibus medii aeui locum obtinuiſſe contendat IO. MICH. HEINECCIVS *de Sigillis Part. I. cap. VI. §. III.*: tribuendum tamen hoc eſt temporis diuturnitati, quae illum colorem induxit. Candidiſſima enim cera cum tempore flaueſcit, et ſigilla, quae extrinſecus lutea videntur, intrinſecus candidi

didi ſunt coloris. Rubrae ſeu miniatae et viridis cerae vſus non quidem nullus apud Germanos fuit, ſed tamen paullo ſerius inualuit. Ac rubra quidem, cur Imperatores et ſtatus in ſigillis vtantur, hanc reddit rationem IO. SAM. STRYCK *de ſanctit. reſidentiar. p. 24.*, *quod color ruber bella et clades cruentas antiquitus deſignauerit.* Ex Imperatoribus rubra cera primus forte ſignauit Fridericus I. Huius enim ſigillum diplomati Spirenſibus conceſſo annexum ita deſcribit CHRISTOPH. LEHMANNVS in *Chron. Spirenſi L. V. c. 64. p. 531. das Siegel dieſes Brieffes iſt in rothen Wachs mit dieſen Worten: Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus.* Sed quum hoc ſigillum etiam monogrammatis figuram praeferat, quod plane ſingulare et inſolens eſt: de eius fide amplius deliberandum videtur. Poſt interregni tempora paullo frequentius rubri coloris vſus adhiberi coepit, et magno in pretio eſſe, ſiquidem teſte IO. SEBAST. MVLLERO in *Annal. Saxon.* Sigismundus Imp. ex Miſnenſibus primum Friderico bellicoſo, Electori XXV. Mart. MCCCCXXIII. hac cera ſignandi facultatem conceſſit: *Er thät ihm die beſondere Gnade*, (ſunt verba ſcriptoris) *daſs er und ſeine Erben fürbaſs zu ewigen Zeiten, als Herzoge zu Sachſen und des Reichs Churfürſten alle ihre Briefe mit rothen Wachſe verſiegeln möchten.*

§. LX.

Viridi cera Principes imp. magis, quam Imperatores et Reges Germaniae in ſigillis delectati ſunt, licet Galliae Reges eam quoque in deliciis habuerint, vti auctor eſt MABILLON *L. II. de re diplomat. cap. XVI. §. 1.* Quamuis vero et huius coloris vſus recentior ſit, vti diximus: non tamen a ſaeculo XIV. demum obtinuit, quod ſibi perſuaſit HEINECCIVS de *Sigillis l. c. §. VIII.*

ſed

ſed integro ſaeculo prius, quia Henricus illuſtris, Marchio Misnenſis iam an. MCCLXXXV. hac cera diploma ſignauit. v. V. C. IO. GOTTLOB HORN in *Henrico illuſtri Cap. VIII. §. XXV. XXVI.*

§. LXI.

Caeterum ſigilla eo maiorem prae ſe ferunt antiquitatem, quo aridior magisque exſiccata eſt cera, ex qua conflata ſunt. Hinc ſpurium omnino cenſeri debet, ſi quod antiquius perhibetur ſigillum, in quo cera mollis adhuc et pinguis adparet.

§. LXII.

Neque vero adeo perpetuus fuit cereorum ſigillorum vſus, vt plane exularent aurea, vti viſum eſt BENIAMIN LEVBERO de *Stapula Saxonica l. c.* et BERNHARDO A MALLINKROT de *Archicancellariis et Cancellar. p. 462. edit. Wenckeri.* Nam vti mos auro ſignandi litteras ſatis antiquus eſt, et iam a Graecis Imperatoribus vſurpatus: ita quoque Franci aeque ac Germanici Imperatores aurea nonnumquam ſigilla adhibuerunt. vid. V. C. IO. DAV. KOEHLERI *kurzgefaſste und gründliche Reichshiſtorie p. 50.* Praeſertim locus illis fuit in negotiis grauioribus, in quibus ipſa imperii maieſtas hoc poſtulare videbatur, vti eleganter obſeruat laudatus HEINECCIVS de *Sigillis P. I. Cap. IV. §. VIII.* et litteris paullo maioris momenti, vt externo etiam ſplendore illarum auctoritatem facerent teſtatiorem. Diplomata aureo vel plumbeo ſigillo munita proprie vocantur bullae, de quibus ex inſtituto egit HENR. GVNTHER. THVLEMARIVS in opere *de bullis.* add. IO. FRIDER. PFEFFINGER in *Notis ad Vitriarium L. I. tit. II. §. XIII. lit. b.*

§. LXIII.

§. LXIII.

Nihil attinet hic recensere aureas bullas Carolingorum, quia otium hic nobis fecit HEINECCIVS l. c. §. V. Sed Germanicorum Impp. quae memorantur, aurea sigilla non ignorare forsan operae pretium erit. v. STRVV *in Corpore iur. publ. p. 123.* Otto I. auro diploma signauit apud GOLDASTVM *Constitut. Imperial. Tom. I. p. 216.*, quem sequutus est Otto III. vti patet ex eius diplomate de an. DCCCCXCIX. apud MARGARINVM in *Bullario Casinensi Tom. II. p. 61.* cuius haec est subscriptio: *manu propria subfirmauimus et aurea bulla nostrae Maiestatis communiri praecepimus.* Henricus II. aurea bulla diploma, ecclesiae Paderbornensi concessum, confirmasse dicitur, sed eamdem tantum inauratam esse testatur SCHATENIVS *L. V. Annal. Paderbornens. Tom. I. p. 409.* Henrici III. auream bullam describit BVCHELIVS in *Notis ad Wilhelm. Hedam p. 126.* qualis et laudatur in *Chronico Cassinensi L. II. c. 81.* At Henricum IV. a bullarum vsu plane abstinuisse censeo, quia Bruschiana laudata HEINECCIO *Cap. IX. §. XLIII.* merito sagacioribus sordet. Si fides BARONIO *Annal. ecclesiast. Tom. XII. ad an. 1122.* Henricus V. litteras, quibus ius inuestiturae per annulum et baculum cessit Calixto II. P. R. aureo sigillo communiuit. *

* Variae commemorantur Caroli M. aureae bullae, sed aliae dubiae sunt fidei, aliae furto subreptae sunt, de quarum γνησιότητι nemo iudicare potest.

§. LXIIII.

Nec exstincta cum Henrico V. Imp. stirpe Salica euanuisse vsum aurearum bullarum, satis demonstrat subscriptio diplomatis, quo Lotharius Abbatiam Stabulensem in suam et imperii tutelam suscepit an. MCXXXVII.

 apud

apud LÜNIG *Spicileg. ecclesiastic. Tom. III. p. 791.* '*et vt hoc ratum inconuulsumque in omnia tempora maneat, hoc praeceptum et propria manu signauimus, et aurea bulla insigniri fecimus.* Conradum III. aureis bullis vsum esse, ex SAM. GVICHENON Bibliotheca Sebusiana probat CAROLVS DV CANGE in *Glossar. voc. Bulla.* Non vna, sed variae bullae aureae Friderici I. laudantur a scriptoribus BROWERO *Annal. Treuirens. L. XIV. an. 1156.* MADERO *Antiquitat. Brunsuic. p. 119.* aliisque. Talis quoque est, qua munitum est diploma, quo Ducatus Westphaliae Henrici Leonis proscripti Philippo Archiepiscopo Coloniensi adsignatus est, apud GELENIVM *Lib. VII. Syntagmat. p. 73.* Otto IV. et Philippus IV. duo illi imperii aemuli, priorum Imperatorum morem auro signandi diplomata sequuti sunt. De illo hoc compertum est ex subscriptione litterarum ad Mediolanenses de an. MCCIX. apud LÜNIG *Tom. I. Codic. Ital. diplomat. p. 396. n. 7.* Huius vero bullam auream describit GELENIVS in *Vita S. Engelberti p. 32.* Non potuit non Fridericus II. qui imperii maiestati tuendae et augendae adeo intentus fuit, eamdem sigillis aureis quoque prae se ferre, quorum plura, quam vllius Imp. commemorantur. Tale adpensum reperio diplomati, quod de libertate principum dedit an. MCCXXXII. prolato a viro illustri IO. PETR. DE LVDEWIG in *Reliqu. MSCtor. Tom. VII. L. IV. p. 515.* cui adiungimus reliquas bullas aureas, quas hanc in rem producit HEINECCIVS *Part. I. c. IV. §. V. p. 35.*

§. LXV.

Collapsa magni Interregni temporibus Caesarum auctoritate, splendor quoque sigillorum obsoleuit, sic, vt V. C. IO. GVIL. HOFFMANNVS, qui summa cum cura

cura diplomata Henrici VII. Conradi IV. Guilielmi Bataui, Richardi et Alfonſi excuſſit in *Iure publ. quod in S. R. I. magni Interregni tempor. obtinuit* §. *XXXI. ſq.* nullam horum Imperatorum auream bullam obſeruauerit. Redeunte vero poſt Interregnum laetiore rerum facie, ſenſim aurearum bullarum vſus rediit, et nullus fuit poſtea imperator, quin auro ſubinde ſignauerit diplomata. Hinc exſtant aureae bullae Rudolphi I. Ludouici Bauari, Caroli IV. Sigismundi, Friderici III. memoratae IO. SCHILTERO ad CHRONICON IAC. A KOENIGSHOFEN p. 1102. et reliquorum inſequentium, de quibus THVLEMARIVS in tr. *de bullis aureis cap. II. p. 8.*

§. LXVI.

In quantitate bullarum aurearum non eſt, cur earumdem varietatem miremur. Etenim haec Caeſarum magnificentia plurimum conſtitit, et hic plerumque non tam imperatoris liberalitas aeſtimanda, quam eius ſumtuum erogatio, cuius gratia diploma concedebatur.

§. LXVII.

Argentearum bullarum vti nullus fuit apud Germanos vſus; ita quoque altum de illis vbique ſilentium eſt, quin et apud Francos nulla eius metalli ſigillorum veſtigia obſeruauit IO. MABILLON *L. II. de re diplom. c. XVI.* §. *16.* Quamuis vero plumbeae bullae veluti propriae fuerint Pontificibus Rom., qui dulce putant, aurum piſcari plumbo, non tamen nulla exſtant exempla, viliſſimum illud metallum ſignandis diplomatis Imperatores Germ. adhibuiſſe. Exſtat enim plumbea bulla Ottonis M. teſte ſubſcriptione diplomatis apud MARGARINVM in *Bullario Caſſinenſi Tom. II. p. 48. quod vt verius credatur, diligentius obſeruetur ab omnibus, manu propria*

propria roborantes sigillo plumbeo sigillari praecepimus. Ottonis III. bullam plumbeam laudat IO. MABILLON *de re diplomat. L. III. p.578.* et binas alias ex HVNDII *Metropol. T. I. p. 364.* et MEIBOMIO *Scriptor. rerum Germ. p. 437.* adfert Reu. Praesul Gottwicensis in CHRONICO p. 212. Conradus II. diploma ecclesiae Frisingensi concessum an. MXXXIII. plumbo signauit apud P. MEICHELBECK *Chron. Frisingensi Part. I. p. 299.* Maiestati imperii quum plumbeis bullis vix consuli posse animaduerteret Fridericus I., iisdem plane videtur abstinuisse.

§. LXVIII.

Alterum est, vt qualis annectendi sigilla modus fuerit, videamus. Germanicorum Imperatorum diplomata ita signabantur, vt membrana ea parte, cui sigilla imprimuntur, in crucis modum incideretur, deinde cera ex vtroque latere scissurae isti cruciformi, et sigillum intrinsecus cerae imponeretur, ita, vt intrinsecus et extrinsecus quasi cohaereret. Modum hunc annectendi sigilla Saxonicis Imperatoribus vsitatum eleganter descripsit BENIAMIN LEVBER in *Stapula Magdeb. n. 1572.* At melius eumdem cognoscere licet ex αὐτοψία ectypi sigilli, cui pars antica, effigie ornata, defecit, in CHRONIC. GOTTWIC. *L. II. p. 164.*

§. LXVIIII.

Sed valde modus hic imprimendi sigilla fraudibus patuit. Quam facile enim cera, membrana ad ignem modice incalescente, in postica parte abradi vel discindi potuit, et sigillum integrum alio transferri? Acute, vt solet, imposturam hanc in diplomate Abbatis S. Donati de Scozula odoratus est Innocentius III. P. R. in *Cap. 5. X. de fide Instrumentorum,* cuius verba digna sunt, quae

quae hic adſcribantur: *Rurſus*, inquit, *cum cera ſigilli ab interiori parte vetuſtiſſima eſſet, cera, quae poſita erat ab exteriori parte quaſi ad conſeruationem ſigilli, recens erat et mollis, quod cum diligenter inueſtigatum fuiſſet, certo certius eſt compertum, quod ſub vetuſto ſigillo charta fuerat perforata, et per glutinum nouae cerae, quae poſita fuerat exterius quaſi ad conſeruationem ſigilli, vitioſe fuit ipſi chartae ſubiunctum: Eadem falſitatis ſpecie per vitioſam videlicet appoſitionem ſigilli caetera fere priuilegia Romanorum Imperatorum, praeter priuilegium Henrici, vel falſa reperta ſunt vel falſata.* Hinc iam facile reddideris rationem, cur tot falſis diplomatibus ſincera ſigilla adfixa reperiantur, quale exemplum Innocentius adfert in *Cap. 5. X. de crimine falſi,* vbi ipſe recte cenſet, bullam genuinam furtim ſubreptam, et callide falſo diplomati adſutam eſſe. Sic quoque ſigillum diplomatis Lindauienſis probum et ſincerum viſum eſt HERM. CONRINGIO, quod a genuino diplomate auulſum eſſe, nemo dubitauerit.

§. LXX.

Idem ſigilla affigendi modus placuit Francis, vti docet MABILLON *L. II. de re diplomat. Cap. XXXVI. §. III.* et ab his ad Germanos, vti pleraque alia, translatus videtur. Manſit huius moris cuſtodia in Germania conſtanter vsque ad ſaeculum XII., quod vel diplomata Henrici IV. et Henrici V. prolata in CHRONICO GOTTWICENSI aliaque complura ſatis luculenter teſtantur.

§. LXXI.

Sigilla vero hunc in modum membranae affixa non eumdem omnia locum occupare ſolent. A Merouingis enim plerumque affigebantur paullo ſupra extrema Datae, quam vocant, verba. At Carolingorum diplo-

 mata

mata ſigillum fere affixum habent poſt Cancellarii aut Referendarii nomen. Caeteri Imperatores locum ſigillo elegere e regione ſigni et recognitionis Cancellariorum, ita tamen, vt dextrum plerumque latus, numquam fere ſiniſtrum teneret. IO. NICOL. HERTIVS de *fide diplomatum Sect. I. §. XVII.*

§. LXXII.

Poſterioris aetatis mos eſt ſigilla *adpendendi*, et ſaeculo XII. fere ad finem properante, poſt Friderici I. Imperatoris mortem in Germania inoleuit. Equidem iam longe antea hoc vſitatum fuit, ſed tantum in bullis aureis, et plumbeis, quippe quae aliter quam hoc pacto membranae illigari non poterant. At cerea ſigilla non prius, quam poſt Friderici I. exceſſum diplomatibus ex filis, cera capſulis impreſſa, apud Germanos adpendi coeperunt. Ita conſtat ſententia laudati LEVBERI exiſtimantis, ſub Sueuicis demum Imperatoribus nouum hunc ſigilla imprimendi modum in morem iuiſſe. HEINECCIVS *de ſigillis P. I. c. XVI. §. IV.*

§. LXXIII.

Porro ſpectandae ſunt ſigillorum imagines, quas ſi praecipuum diplomatibus ornamentum adferre dixero, neminem me ſpero habiturum contradicentem. Hinc numquam imagines in ſigillis omiſſas eſſe certiſſimum videtur. Sane antiquiſſima Francica ſigilla Regis effigie inſignita fuiſſe luculenter oſtendit annulus Childerici I. Regis Francorum, Tornaci in eius ſepulcro anno MDCLIII. repertus. Hic enim Principis armati effigiem cum inſcriptione: CHILDERICI REGIS, repraeſentat. v. IO. IAC. CHIFFLETIVS in *Anaſtaſi Childerici c. VII. p. 99.* Colligi quoque hoc poteſt ex loco ex *Geſtis*

Gestis Francorum supra adlato, quo annulus, Clodouei imagine insignitus, inuentus dicitur.

§. LXXIIII.

In diplomatibus Imperatorum et Regum Germaniae quae occurrunt formulae, quibus sigillum ipsa imaginis voce denotatur, neminem dubitare patiuntur, sigilla Germanica imaginibus fuisse conspicua. Sic, vt vnum modo huius rei exemplum adferam, Conradus III. Imp. in diplomate, Bremensi ecclesiae concesso imaginis suae in sigillo expressae mentionem facit his verbis: et *vt haec ab omnibus sic dispofita et constituta esse noscantur, praesentis scripti paginam fieri*, et NOSTRAE IMAGINIS *signo roborari mandauimus.* LINDENBROG *Priuileg. eccles. Hamburg. n. 45. p. 155.*

§. LXXV.

Quandoquidem vero effigies sigillorum tantum habent et momenti, et splendoris, vt eas prae ceteris magno in pretio habeant viri harum rerum peritissimi: non male forsan huic opusculo consulere videremur, si illas aeri incisas hic subiiceremus. Nemo enim tam est antiquitatis incuriosus, qui non fructum oculis gratissimum capiat, si in aere spectet venerandos Imperatorum Regumque Germ. vultus, in quibus, vt est vultus animi index, oculis quasi cernat modo huius indomitam animi ferociam, et spectatam belli domique virtutem, quae in viuo eluxit; modo illius degenerem inertiam ignobilemque mollitiem, qua in vita fere difflueret. Nec sine risu saepe videas expressam in facie stupiditatem, et fatuam amentiam, qua ad quaestus tam callide abusi sunt clerici. Quid denique iucundius est, quam in fumosis illis ceris regium veterum habitum, ad pri-

ſcam ſimplicitatem compoſitum, cognoſcere? Habet et vetuſtas neſcio quam maieſtatem, non minus mirandam ea, quam in cultiſſimo ſaeculo Reges et Principes oſtentant.

§. LXXVI.

Sed quum hoc inſtituti noſtri ratio non ferat, et imagines ſigillorum quilibet ſpectare poſſit in ectypis, quae exhibent NIC. ZYLLESIVS in *Defenſ. Abbatiae S. Maximini P. III.* V. C. IO. FRIDER. SCHANNAT in *Vindic. archiui Fuldenſ.* IO. MICHAEL HEINECCIVS in opere de *Sigillis*, et Reuerendiſſ. Abbas Gottwicenſis in CHRONICO, qui et in deſcribendis illis praeclaram poſuerunt operam, aliique complures: id nobis datum erit negotii, vt breuiter potiores, quae huc pertinent, obſeruationes perſtringamus. Iam primum omnium obſeruandum eſt, in Merouingorum * ſigillis nuda tantum capita Regum rudi admodum caelatura expreſſa eſſe, quod vel ideo non mirandum eſt, quia Reges Francorum primae ſtirpis ſignarunt annulis, in quibus praeter caput nihil fere exprimi ſolebat, vti obſeruat IO. MABILLON *L. II. de re diplomat. c. XVI. §. II.* et ſpecimina apud eumdem luculenter teſtantur. Ne te, quaeſo, moueat ſigillum Maximinianum apud ZYLLESIVM *l. c. P. III. p. 10.* in quo Dagoberti Regis effigies dimidiata cum pallio, ſceptro regali, et diademate adparet. Vti enim pleraque diplomata, quae Dagoberto tribuuntur, dubiae fidei ſunt; ita quoque ſigilla eius non vna falſitatis nota laborant. conf. HEINECCIVS de *Sigillis P. I. Cap. X. §. V. et VI.* Deinde Merouingica ſigilla totam Regum faciem aduerſam praeferunt.

* Effoſſi cum feretro Childerici Regis annuli effigiem eius cum franca ſ. haſta, quam manu tenet, crinitam prae ſe ferunt. GVNDLING *de feud. vexill. p. 11.* conf. GOTTL. WERNSDORF Comment.

ment. *de Regibus crinitis Francorum Merouing. stirp. Witemb. 1742*, in quo relatum legitur, huius stirpis Reges capillum intonsum gestasse; quod capitis decus ab regibus Caroling. fuit repudiatum. De capillo prolixo, nobilitatis decore, vid. HEINECCIVS *El. Iur. G. T. I. 402. T. II. 357.*

§. LXXVII.

Sed tota haec figurarum ratio immutata est Carolingorum aeuo, quo melior cultus et elegantia quasi renasci videbatur. Primo enim imagines illorum omnes oblique ad dextrum latus conuersae sunt, si Carolomanni iconem excipias, quae in laeuam partem inclinata est. IO. MABILLON *L. II. de re diplomat. Cap. XVI. §. VIII.* Secundo sigilla Carolingicae stirpis dimidiatam Regis effigiem, seu superiorem corporis partem exhibent. I, quaeso, in rem praesentem, et inspice specimina apud MABILLON *L. V. de re diplomat.* et SCHANNAT in *Vindic. archiu. Fuldens. diplom.* quae fidem dictis facient.

§. LXXVIII.

Ex hac consuetudine est, quod priores Germaniae Reges non toti in sigillis adpareant, sed tantum vmbilico tenus se sistant, et vultum ad dextrum latus conuersum habeant. Schema tamen illorum ad maiestatem magis, quam antea, est compositum, quia coronati, dextra lanceam vexillo ornatam, sinistra vmbellam seu scutum praeferentes repraesentantur. Eius generis sunt sigilla Conradi, Henrici I., Ottonis I., qui tamen augusta dignitate potitus, sceptrum et globum adhibuit, quod patet ex sigillo apud ZYLLESIVM *P. III. defens. Abbat. p. 22.* Hinc ab eo tempore origo *globi imperialis* * apud Germanos repetenda videtur, quia et posteri omnes, eumdem gestantes, in sigillis conspiciuntur. CHRON. GOTTWIC. *L. II. p. 163. sq.* add. NIC. HENE-

LIVS *Otio Vratislauienſi Cap. XI.* qui de origine globi ſeu pomi imperialis docte, vt ſolet, diſſerit. *

* Erat hoc ſcilicet inſigne veteris imperii Rom., quo Iuſtinianum vſum eſſe conſtat. Globus ſiue orbis duplex conſpicitur in numis bracteatis Henrici IIII., id quod ad ea referendum tempora SCHILTERVS arbitratur, *de libertate eccleſiar. Germ. L. III. c. VIIII. §. 7.* quibus imperium occidentis in orientem extendebant Impp., praetenſionis ſaltem, ſiue iuris reſeruandi gratia. conf. GOTTL. SAM. TREVERI *hiſtoria globi crucigeri, ſymboli maieſtatis, et diſquiſitio globi duplicati in numis bracteatis ſaec. XII. et XIII. Brunſu. p. 728.* A Benedicto VIII. P. R. alia ſpecies producta eſt, quam ita deſcribit GLABER: *Inſigne praecepit fabricari, quaſi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis quibusque gemmis, ac deſuper auream crucem inſeri. Erat inſtar ſpecies huius mundanae molis, quae videlicet in quadam rotunditate conſiſtere perhibetur. Vt, ſiquidem illud reſpiceret Princeps terreni imperii, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quam vt dignus haberetur, viuificae crucis tueri vexillo. In ipſo etiam diuerſarum gemmarum decoramine videlicet imperii culmen plurimarum virtutum ſpeciebus exornari oportere.*

§. LXXVIIII.

Elegans itaque, at plane ſingulare eſt ſigillum Ottonis III. innexum diplomati, quod conceſſum eſt eccleſiae collegiatae S. Victoris Moguntiae, et aeri incidendum curauit ILLVSTRISS. ABBAS GOTTW. in CHRONIC. *L. II. p. 209.* Stantem enim et integrum ſiſtit hunc Imperatorem, indutum amictu regio, et corona, ſupra quam ſtella ſex radiorum eminet, clauſa ornatum, dextra baculum regium magnitudine ſui integra tenentem, et ſiniſtra globum, cruce carentem. Similem eius figuram vix alibi reperias, quum in aliis, quotquot exſtant, ſigillis Otto III. ſuperiorem corporis ſui partem, ſeu dimidiatam figuram, exprimendam curauerit.

§. LXXX.

Nouam ſigillorum figuram excogitauit Henricus II., qui ſancti nomen meruit, quam poſteri omnes mira conſtantia retinuerunt. Primus enim throno inſidens, et totus in ſigillis repraeſentari voluit. Sed quid fiet ſigillo Ottonis III. apud MEICHELBEK in *Chron. Friſingenſi Part. I. p. 194.* quod figuram Regis in ſolio regio, aut imperiali ſedentis praefert? Noli exiſtimare, regulam noſtram ex eo infringi! ſed firmo illa talo adhuc ſtat, ſiquidem recte iam obſeruauit ABBAS GOTTWIC. in CHRONICO *L. II. p. 230.* Ottonianum illud ſigillum e diplomate Henrici II. deſumtum eſſe, et a rerum imperito Ottoniano diplomati adfixum, quod credere nos iubent rationes, quae hic occurrunt, grauiſſimae.

§. LXXXI.

Poſtremo non praetermittenda eſt obſeruatio HEINECCII de *Sigillis P. I. c. VIII. §. II. III.* in medii aeui ſigillis gentilium Deorum imagines plane exulare: id quod non ſine magna veriſimilitudinis ſpecie inde colligit vir in his litteris eximius, quod medio aeuo mirum in modum a profanae religionis erroribus abhorrerent Chriſtiani.

§. LXXXII.

Venit hic mihi percommode in mentem quaeſtionis, quae originem aquilae imperii bicipitis in ſigillis expreſſae ſpectat, de qua mirum, quam inter ſe contendant eruditi. Sed ſatis exploratum eſt, nullum aquilae vſum in ſigillis fuiſſe ante tempora Ludouici Bauari. Primus hic ſigilla aquila exornauit, ſimplici vero, non bicipiti, et quidem binas diuerſas aquilas ad vtrumque throni latus collocauit, vti docet elegans ſigilli ectypon,

quod

quod dedit Ill. IO. GEORG. ESTOR *P. I. Opuscul. minor. p. 9.* Addatur descriptio sigilli maiestatis, quae tabulis foederis inter Ludouicum Imp. et Philippum R. Galliae icti subiecta est apud LEIBNITIVM in *Cod. iur. gent. diplomat. T. I. p. 152.* Eumdem morem tenuit Carolus IV. Imp. qui initio simplicem aquilam in vtroque latere expressam adhibuit. v. *Descriptio sigilli Carolini apud Illustr. Dn.* DE LVDEWIG in *Reliqu. MSCtor. T. I. p. 379.* et HEVMANNI *Obseruat. de Imper. mortuo p. 53.* Postea vero duas has alas in vnam quasi conflauit et bicipitem finxit. Sic in sigillo adlato a FVGGERO in *Speculo Austriaco L. III. c. IX.* quo an. MCCCLXVIII. litteras signauit Carolus IV. duabus aquilis ad latera imperatoris exhibitis, in scuto dextri lateris aquila biceps repraesentatur. Perperam ergo primam aquilae bicipitis originem Sigismundi Imper. aeuo adscribunt CANGIVS Differt. de *inferioris aeui numismat. p. 12.* et CHRON. GOTTWICENSE *L. II. p. 268.* Quum vero Imperatores promiscue modo simplici, modo bicipiti aquila vterentur vsque ad Carolum V., ab eius tempore constans aquilae bicipitis vsus in insignibus imperii deriuandus est; id quod satis testantur sigilla, quae collegit OLIVAR. VREDIVS de *Sigillis Comit. Flandriae p. 151. seq.* Rem hanc copiose et more suo egregie exposuit vir illustris IO. SAMVEL TREVER in Differt. de *vera origine aquilae bicipitis Imp. Rom. Germ.* quae prodiit Helmstadii CIƆIƆCCXXVI.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Nihil attinet, plura iam commemorare, quae ad imagines ſigillorum in vniuerſum ſpectant. Attamen quum et habitum corporis in ſigillis expreſſum cognoſcere et explicare, operae pretium ſit: licebit nobis ſpecimen dare in ſigillo Conradi I., quod idcirco infra exhibemus, vt ex eo de ceteris fieri queat iudicium. Illigatum illud eſt diplomati dato an. DCCCCXII., quod adcurate aeri inciſum edidit SCHANNAT in *Vindic. archiui Fuldenſ. Tab. VIII.* Spectabis in eo primo Conradi imberbis, corona ornati, et pallio induti effigiem, quae ſuperiorem corporis partem refert, et ad dextram conuerſa eſt. Porro animaduertes faciem eius ſerenam et ad grauitatem compoſitam, capillos breues, ſed non criſpatos, et collum vtrimque nudum. Corona, qua redimitus eſt, aperta et ſuperne rotunda eſt, et tribus radiis gemmatis conſtat. Regale indumentum, priſcis Francorum Regibus iam vſitatum, eſt pallium, in humeris dextra parte fibula gemmea conſtrictum, cuius figuram egregie deſcribit *Monachus San-Gallenſis* in *Vita Caroli M. L. I. c. 36.* Dextra haſtam ſiue lanceam faſcia inſtar vexilli ornatam tenet, ſiniſtra vero ſcutum praefert oblongum, concauum et ſtriis variis condecoratum. Inſcriptio ita ſe habet: CHVONRADVS REX. Quemadmodum vero corona, lancea, aliaque veſtimenta regalia, quibus indutum Conradum obſeruamus, inter imperii inſignia tum numerabantur; ita quoque non mirandum eſt, iisdem Henricum in ſigillis conſpicuum eſſe. Quin haec ipſa inſignia Conradus, morti vicinus, Henrico transmiſit, vti teſtantur LVITPRANDVS *L. II. Hiſtoriar. c. VII.* et WITICHINDVS *Annal. L. I. p. 636.* non aliam ob cauſſam, quam vt

ius imperii potiſſimum illi p r raditionem inſignium conciliaret. vid. Commen a io noſtra de *iure imperii ſine Clenod. et inſignibus imp. minus pleno in German. habito.*



§. LXXXIIII.

Inſcriptiones ſigillorum latina lingua conceptae ſunt, et nomen ac dignitatem eius, cuius eſt ſigillum, exprimunt. Nonnullis cruces praemiſſae reperiuntur. Vſus huius ſigni, quod ex ſubſcriptionibus, quibus cruces antiquitus praefixas eſſe, iam ſupra obſeruauimus, in ſigilla tranſiit, vsque ad ſaeculum XIV. conſtanter durauit. Nomen Regis vel Imperatoris aut ſolum occurrit hunc in modum ✠ KAROLVS GRATIA DI IMPERATOR ✠ OTTO DI GRA REX, aut praemiſſa formula quadam v. g. XPE PROTEGE KAROLVM IMPERATOREM. *

* Multa ſaepe ſigillorum inſcriptionibus ineſſe, quae fraudem redolent, recte obſeruat Innocentius P. R. in *Cap. VI. X. de fide inſtrumentorum*, vbi varias falſitatis notas in illis obuias collegit.

§. LXXXV.

Poſterior formula Carolingis quibusdam Imperatoribus, vtpote Carolo M., Ludouico Pio, et Ludouico Ger-

Germanico in deliciis fuit, MABILLON *L. II. de re diplomat. c. XVI. §. VIII.* quae a Graecis Impp. ad Francos propagata videtur HEINECCIO *de Sigillis P. I. c. IX. §. 15.* Abstinuerunt ab ea Imperatores Saxonici, Franconici et Sueuici, quippe qui solum nomen cum dignitate sigillis suis insculpi iusserunt. Altera formula *Dei gratia* antiquior est, siquidem in Merouingorum sigillis iam occurrit, et longiori vsu probata est. Initio quidem ad pietatem magis, quam ad potentatum significandum inseruiit, vt constaret aliis, Deo omnia accepta esse referenda. Postea vero in sensum ciuilem abiit, vt axioma esset summi imperii et superioritatis territorialis. Perill. A LVDEWIG ad *A. B. P. I. p. 8. sq.* Quum vero illa vsi sint Principes et Comites ea aetate, qua nondum gaudebant superioritate territoriali, vti docent exempla apud PFEFFINGER *ad Vitriar. T. I. p. 305.*: facile patet, formulam hanc notam tum fuisse magistratus insignis, seu administrationis regalium, quae iis per prouincias adsignatas a regibus et imperatoribus erant concessa. Celeberr. TREVER in Diss. *de studiis I. R. G. ruinam procurant. Cap. III. §. VII.*

§. LXXXVI.

Antiquiora quaeque sigilla vti simplicitate sua, ita quoque inscriptionum breuitate se commendant. Tantum enim abest, vt longo titulorum syrmate Imperatores Regesque delectati olim sint, vt vix dignitatum aut prouinciarum, quibus praeessent, meminerint. Successu temporis et saeculo, vt videtur, XII. longiores factae sunt inscriptiones, iisque primum adiecta est vox *Romanorum*, et post aliarum quoque prouinciarum et regnorum nomina adscripta sunt.

§. LXXXVII.

Denique nec id praetermittendum videtur, diuersas fuisse sigillorum figuras. Antiquissima est orbicularis, quae et Merouingis placuit, quod satis testantur illorum ectypa edita a ZYLLESIO in *Defens. Abbat. S. Maximini P. III.* PAPEBROCHIO in *Propyl. antiqu. Tab. I. p. 12.* et MABILLON *L. V. de re diplomat.* Retinuerunt eamdem figuram Imperatores Germanici, si excipias Carolum M., Ludouicum Pium, Lotharium, et ceteros Ludouicos, qui oualibus sigillis vsi sunt. Sic quoque Principum sigilla plurima sunt orbicularia. Parabolica oblonga, triangularia, et quadrata recentiorum sunt temporum, et rarius, immo vix vmquam ab Impp. et Regibus Germ. vsurpata videntur, de quibus consulendus HEINECCIVS de *Sigillis P. I. c. VII.*

§. LXXXVIII.

Nihil adhuc diximus de *sigillis maiestatis* et *contrasigillis*, quorum tamen vsum satis frequentem in Germania esse, nemo ignorat. Nomen sigilli maiestatis non adeo recens est, vt quidam existimant, sed iam saeculo **X.** auditum, vti testatur subscriptio diplomatis Ottoniani de an. DCCCCXCIX. apud MARGARINVM in *Bullar. Casinensi T. II. p. 61. manu propria subfirmauimus, et aurea bulla nostrae Maiestatis communiri praecepimus;* licet res ipsa tum nondum cognita fuerit. Etenim *sigilla maiestatis illa proprie dici existimo, quae Reges et Imperatores coronatos, sedentes in solio, sceptrum et globum imperialem tenentes exhibent.* Talem habitum in sigillis primus adsumsit Henricus II. Quemadmodum vero ille ad maiestatem maxime compositus est; ita praecipue sigillis maiestatis nomen fecisse videtur. Nam in omnibus sigillis, quibus maiestatis nomen ipsi Reges et Imperatores

res in diplomatibus tribuunt, imago illorum throno insidens expressa est. Sic Adolphus Rex, in throno regali sedet dextra sceptrum trifurcatum, laeua pomum imperiale gestans in sigillo maiestatis, quo signauit diploma de an. MCCXCIII., quod edidit Ill. IO. GEORG. ESTOR in *Origin. Iur. publ. Hass. Cap. IV. §. 41.* Eamdem figuram refert sigillum maiestatis, quo vsus est Bertoldus, Archiepiscopus Moguntinus, auctore Dn. VALENTIN. FERDIN. DE GVDENVS in Praef. *Syllog. I. varior. diplomat. p. 21. sq.* Vnde non errant, qui sigilla maioris moduli *maiestatis* nomine adpellari sibi persuadent; sed complura sigilla maioris formae repeRiuntur, quae tamen non sunt sigilla maiestatis. Vocantur subinde sigilla maiestatis in ipsis diplomatibus magna, sed hoc fit ratione contrasigillorum, quae sunt minoris formae. Denique notandum est, figuras Imperatorum sedentes in sigillis maiestatis desiisse cum Friderico III. v. Dn. DE GVDENVS *l. c. p. 21.*

* Sigillum maiestatis Ottonem III. Imp. peregrinis moribus imbutum, primum in Germania vsurpasse, docet KVCHENBECKERVS *analect. Hassiac. P XI.*, qui vsum horum sigillorum ab Impp. Graecis arcessit. Caeterum de sigillo maiestatis lege, si placet, Dn. DE LVDEWIG *in iure feudali p. 257.*

§. LXXXVIIII.

Nec Imperatores solum et Reges, sed et Principes maiestatis sigillis sua muniuerunt diplomata. Inter omnes constat, vsum illorum sibi vindicasse olim Electores Brandenburgicos, Duces Brunsuicenses, de quorum sigillo maiestatis in dissertatione peculiari disputauit POLYC. LEYSERVS, et prae ceteris Electores et Duces Saxoniae, item Austriacos, conf. KVCHENBECKER *Analect. Hassiac. P. XI.*, quippe qui persaepe in

chartis suis profitentur: *Das zu Urkund haben wir unser gröstes Majestät Insiegel an diesen Brief thun hengen.* TENTZEL in *Historia Gothana p. 660.* conf. MICH. HENR. GRIEBNER Diss. de *Sigillo maiestatis Saxonico §. V. sq.* Wilhelmus, Dux Saxoniae diploma anno MCCCCLXVII. sigillo maiestatis signauit, teste Dn. IO. MARTINO SCHAMELIO, in *Historischer Beschreibung des Benedictiner Klosters zu St. Georgen vor der Stadt Naumburg Cap. IV. §. 3. n. a.* Hassiae Landgrauios sua quoque sigilla maiestatis habuisse, ostendit vir laudatissimus, ESTOR l. c. *Cap. VI. §. 65.* Henricus I. Hassiae Landgrauius sigillum maius quidem adhibuit, sed maiestatis nomine illud non insigniuit. Henricus Ferreus, Landgrauius primus, in diplomatibus suis meminit *sigilli nostri maioris*, et sub Ludouico Placido demum saec XV. sigillum maiestatis primum est auditum. KVCHENBECKERVS *Analect. Hassiac.* et diplomata adfert, et ipsa sigilla, in quorum inscriptionibus sigilla dicuntur maiora; in diplomatibus vero maiestatica. Ex quo sigilla maiora Ducum sigilla quoque maiestatis fuisse colligit. Sed Principes in sigillis maiestatis, quantum ego scio, non vti Imperatores et Reges, throno, sed equo insident, habitu bellico ornati, galea cincti, dextra gladium strictum vel vexillum vibrantes, altera manu scutum praeferentes, vti patet ex descriptione sigilli maiestatis, quam dedit TENTZELIVS l. c. * Mouit hoc sine dubio R. P. MARQVARDVM HERRGOTT in *Genealog. diplomat. augustae gentis Habspurg. L. I. c. XVII. p. 103.* vt sigilla maiestatis Regum et Imperatorum propria esse, et ab iis separanda existimet, quae vocat equestria siue auctoritatis, et Principibus tribuit. Si quid video, Principes summum ius territoriale testaturi, aliam in sigillis

suis

ſuis inierunt rationem, quum figuras ſolio inſidentes Imperatores in ſigillis ſuis effingere ſolerent. ** Quemadmodum habitus bellicus omnium glorioſiſſimus in Germania, vtpote republica militari, credebatur; ita quoque non magis ſuam ſe dignitatem Principes declarare poſſe arbitrabantur, quam ſi equitantes ſe in ſigillis ſuis ſiſterent.

* Iuuare coniecturam noſtram videntur principum numi, in quibus, ſi a paucis diſceſſeris, omnes cum equo reperias, galea, lorica et ſcuto ornatos. Nam praeter Miſnenſes marchiones neminem facile principum ſedem vindicare ſibi, quae propria Imperatoris exiſtimabatur, auſum eſſe, pro comperto eſt. v. Dn. DE LVDEWIG *in der Einleitung zum teutſchen Münzweſen mittler Zeiten p. 173.*

** Figuram ſigilli ſecreti, quod Theodoricus, Landgrauius Thuringiae diplomati, coenobio cuidam conceſſo, adfixit, exhibet HAHN *T. I. collect. veter. monument. p. 114.*

§. XC.

Contraſigilla (*quae patrio ſermone non incongrue dixeris:* zurück gedruckte Siegel, *qua formula vtitur Adolphus Moguntinus in diplom. de an. 1461. apud* SENCKENBERG. *diſſ. de iure Auſtraeg. p. 106.*) ſunt ſigilla minora, quae maioribus vel a tergo impreſſa ſunt, vel ſeparatim diplomatibus adpenſa. Quum vero cerea ſigilla antiquitus ipſimet membranae imprimi ſolerent, nec ante ſaeculum XII. diplomatibus adpendi coeperint: facile patet, nullum contraſigillorum vſum ante id tempus eſſe potuiſſe, niſi in bullis aureis et plumbeis, quas ex vtraque parte ſignatas fuiſſe, nemo dubitat. Quamquam vero hoc ſatis certum ſit; tamen difficile eſt definire, quis Imperatorum primus contraſigilla adhibuerit. Vocantur illa quoque ſecreta; at ſecreto ſigillo iam vſus eſt Henricus IV. Imp. in diplomate Eccleſiae Niuellenſi conceſſo de an. MLIX. apud MIRAEVM *donat. Belgicar. p. 388.*

p.388. quod a communi ſigillo ſcilicet maieſtatis diſtinguit, et *ſpecialis dilectionis indicium* vocat. Interim primum contraſigillis vſum eſſe ferunt Henricum VI., quorum formam deſcribit CASTALDVS de *Imp. quaeſt. LXXXVIIII. n.6.*, quem ſequuti ſunt Carolus IV., et, qui ei ſucceſſerunt, Imperatores. Illud adhuc monendum videtur, vſum contraſigillorum ideo inuentum eſſe, vt tituli prouinciarum, qui in ſigillo primario locum non inuenirent, in illa reiicerentur. Alii ſymbolum ſuum maioris fidei et auctoritatis cauſſa, alii inſignia gentilitia in illis exprimenda curarunt; et quum Henricus VI. primus in contraſigillis vſurpauerit formulam: *Iuſte iudicate filii hominum*, eamdem poſteriores quoque Imperatores retinuerunt. De contraſigillis medii aeui peculiari commentatione egit POLYCARPVS LEYSERVS, quam tamen videre nobis non licuit eſſe tam felicibus. *

* Huic toti de ſigillis quaeſtioni tamquam laciniam adiungere placet obſeruationes aliquot non nullius plane momenti, quarum prima haec eſto, 1) ſua quoque Imperatrices ſigilla adhibuiſſe. Documento eſt diploma apud WILHELM. HEDAM, *de epiſcopo Vltraiect. p. 154.* „*Vt haec traditio noſtrae auctoritatis rata permaneat, hanc paginam inde conſcriptam, manu propria roborantes, ſigillo noſtro inſigniri iuſſimus.*„ HEVMANNVS *de imperatore mortuo p.52.* 2) in ſigillis Reges et Principes alitem manu tenentes ſaepe repraeſentantur, de qua re Henrici IIII. exemplum ex Zylleſii defenſ. S. Maxim. tabulis aeneis Corpori Hiſtor. Germ. annexis inſeruit STRVVIVS. OLIVARIVS VREDIVS *de ſigill. Comit. Flandr. p.47.* ſigillum Roberti Beturienſis cum eius effigie et alite exhibet, de quo ita: adeoque etiam tum ſigillum habuit, figura equeſtri, tamquam ad venationem procedente: cuiusmodi plerumque eſſe ſolent iuuenum innuptorum ſigilla. conf. *Bericht vom Adel in Teutſchland p.122.* 3) Filiis magnatum, ſi nondum iuſta aetate eſſent, ſuis ipſorum ſigillis vti fas non erat. Sic Comes de Clettenberg apud LEVCKFELD. *antiquitt. Walckenrid. p.89.* teſtatur, ſe ſuo nondum ipſius ſigillo vti. Conf. DV FRESNE *h. v. p.853.* De ſigillis comitum

tum vid. *Bericht vom Adel in Teutschland p. 123.*) Quo ex loco id quoque discimus, 4) Nobiles, ante annum aetatis vicesimum primum, sigillum proprium nullum vsurpasse. Hinc filii Ludouici Ysenburgii, Henricus, Ludouicus, et Wilhelmus, aui sui sigillo vsi sunt, in diplomate apud KOPPIVM *de insign. different. comit. imper. p. 361.* Caeterum 5) sero demum equestris ordo vsurpauit sigilla l. c. p. 447.

§. XCI.

Iam ex his, quae fusius de sigillis diximus, facile licebit, generales quasdam regulas eruere. Primo ergo loco tenendum,

I. Sigilla quo antiquiora sunt, eo minus habere elegantiae, et omnia medii aeui sigilla simplicissima esse;

II. Sigilla Carolingorum, Saxonicorum et Franconicorum alius coloris, quam candidi, cerae impressa, νοθείας vitio non carent. Vnde porro colliges: sigillum, cuius cerae color tum temporis nondum vsu receptus fertur, adulterinis non immerito accensendum esse;

III. Suspecta est antiquitas sigilli, cuius cera adhuc mollis et pinguis videtur.

§. XCII.

Quum sigilla Carolingorum et Saxonicorum Imperatorum membranae adfixa, et modum adpendendi sigilla cerea ante saeculum XII. in Germ. nondum vsitatum fuisse, demonstratum sit: consequens est, vt malae notae sint diplomata v. g. Ottonis M., Henrici IV., quibus sigilla adpensa sunt.

§. XCIII.

Quumque imagines in sigillis non omissas esse, et profanas ex sigillis medii aeui exulasse, obseruatum sit:

facile patet, fraudem prodere sigillum, quod Regis vel Imp. imagine careat, et multo magis, si in aliis omnibus eius sigillis imago eius insculpta reperiatur, aut in diplomate ipso mentio fiat imaginis, haec tamen non adpareat. Nec suspicione carent medii aeui sigilla, quae gentilium Deorum imagines repraesentant. Sic de Caroli M. sigilli, Serapidis capite ornati γνησιότητι acute dubitauit BARTHOLOM. GERMON Discept. *de veter. Reg. Francor. diplom. ad Mabillon. P. II. c. IX. p. 216.*

§. XCIIII.

Nec temeritatis vitium incurret is, qui falsa pronunciat sigilla Merouingica, quae dimidiatam Regum figuram, nec nuda solum capita eorum referunt. Amplius vero deliberandum esse censebis de fide sigillorum, quae Reges throno insidentes ante Henricum II. repraesentant. E contrario omni dubio caret, sigilla Carolingicae stirpis et priorum Germaniae Regum superiorem corporis partem exhibere, et imagines Regum ad dextrum latus oblique conuersas esse.

§. XCV.

Ex iis, quae §. LXXXIII. et sequentibus diximus, hac fluunt regulae:

I. In sigillis Imperatorum Saxonicorum, Salicorum et Sueuicorum non occurrit formula XPE PROTEGE. *

II. Si in sigillo antiquiore formula recentior habetur, eius fides laborat.

III. Titulus prolixior et ad hodiernum morem compositus sigillo antiquiori fraudi est.

* Solus Henricus IV. ex Salicis Imperatoribus hanc formulam Francicorum Impp., longo temporis interuallo intermissam, in vsum reuo-

reuocauit, si fides bullae, quam habet CASPAR BRVSCHIVS in *Chronolog. Monasterior. p. 182.* Sed valde dubiam esse, iam supra monuimus.

§. XCVI.

Postremo his subiicienda est regula de figura sigillorum:

Quodcunque sigillum figuram longe recentiorem habet, quam diplomatis aetas ferre potest, illud merito inter adulterina est referendum.

Sic sine dubio malae notae sigillum foret, quod ex Carolino aeuo produceretur parabolicum oblongum, aut triangulare, quale quidem isto tempore nondum vsitatum fuisse. constat.



SECTIO TERTIA
DE
INTERNIS DIPLOMATVM NOTIS.

CAPVT I.
DE
INVOCATIONE NVMINIS DIVINI DIPLOMATIBVS PRAEMISSA.

§. I.

HACTENVS externam diplomatum faciem spectauimus. Iam interna sequitur, quae est in formulis. Hanc autem explicaturis non aliunde nobis ordiri licebit, quam a piis diplomatum initiis seu inuocationibus Numinis diuini, quibus illa inchoantur. Exstat de hoc argumento G. A. STRVVII dissertatio, quam obseruationibus selectis auctam edere promisit Ill. BVDERVS *in biblioth. iuris selecta.*

§. II.

Inuocatio nominis diuini dicitur formula initialis diplomatum, qua diuinum Numen aut Christi, aut trium in Trinitate personarum, aut sancta Trinitas imploratur.

§. III.

Quum veteres nihil quidquam sine solemni precationis carmine auspicandum esse existimarent: factum inde est, vt instrumenta quoque ab inuocatione diuini Numinis inchoarentur. Romanos iam omnium rerum initium a precationibus cepisse, testatur PLINIVS in *Panegyr. Cap. I. principio.* Ita poetas quoque religioni sibi duxisse nouimus, carmina sua, Diis non inuocatis, auspicari. PLINIVS *L. VIII. ep. 4.* LIVIVS *in praefatione.* conf. ALCIATVS in *Parerg. VIIII. c. VI.** Veteres LLatores, Solon, Plato et Cicero legum suarum exordium a diuini nominis inuocatione duxerunt, quod eleganter ostendit RADVLFVS FORNERIVS *Rer. quotidianar. L. VI. c. I.* Sanctior huius moris custodia fuit apud Christianos. Sic Iustinianus Imp. Constitutioni de Confirmat. Digestorum et de veteri iure enucleando, item *L. 2. C. de offic. praef. praet. Afr. et Nou. LXXXV.* ita praefatus est: *in nomine domini nostri Iesu Christi.* Vt adeo frustra sit POLYCARP. LEYSERVS, qui in *Obseruat. diplomatico historicis de iis, quae Iustiniano Imp. in prooemio Institutionum imperite supposita §. III.* formulam hanc ab aliena manu prooemio Institutionum accessisse contendit. Nam et authentica est, quod ex inscriptione Trapezuntina probauit perillustris IO. PETR. DE LVDEWIG in *Vita Iustiniani M. Cap. VII. §. II.* et Iustiniano hanc praefationem solemnem fuisse, ex adlatis exemplis satis liquet. Quin et Codicum tam manu exaratorum,

rum, quam antiquitus impressorum fide et auctoritate eamdem niti, luculenter ostendit vir eruditissimus CHRISTIANVS GOTTL. SCHWARZIVS in *Scholiis Philolog. ad prooem. Institut. Cap. II.* Accedit, quod eius aeuo formula ista tanto maiori studio retenta sit, quanto certius illa argumentum videbatur opinionis a peruersis Arii, Christum Deum esse negantis, erroribus alienae, quam palam et aperte quisque prae se ferre cupiebat. Postea in honorem huius formulae Leo Imp. Nou. LXXII. sanxit, vt pactum, licet nudum, dummodo implorato Dei nomine factum esset, ratum ac legitimum haberetur. Et quum Maximilianus I. Imp. eam instrumentis praemittendam praecepisset, in Constitut. de *Notariis de a. 1512.*: tam necessaria in foro visa est, vt, si absit, instrumento omnis plane fides denegetur, quod iam antea Bartolus, aliique iuris interpretes ex Iustiniani Nou. XLVII. perperam collegerunt. Sed errorem hunc iam profligauit Dn. DE LVDEWIG *ad A. B. p. 3. 4. seq.* vbi graphice abusum huius formulae ostendit.

* Inter deos principem quoque a poetis esse inuocatum, VIRGILIVS et LVCANVS documento sunt. Ille enim Augustum *Georg. L. I. v. 24.*; hic Neronem L. I. v. 33., neuter sine adulationis nota in partes aduocauit.

§. IIII.

In Merouingicis diplomatibus tantum abest, vt inuocatio sanctae et indiuiduae Trinitatis occurrat, vti scribit PRAESVL GOTTWICENSIS in CHRON. *L. II. p. 117.*, vt potius nullam plane diuini nominis mentionem praemissam habeant, quotquot illorum genuina sunt et indubitata, quod contra PAPEBROCHIVM demonstrauit MABILLON *L. II. de re diplom. c. III. §. II.*

§. V.

At Carolingorum demum aetate diplomata inchoari coeperunt formulis: *in nomine Dei et Saluatoris nostri Iesu Christi: in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Post a Sancta Trinitate diplomata auspicatus est Carolus Caluus hac formula: *in nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis;* quod exordium deinde Germanici quoque Reges et Imperatores retinuerunt, vt iudice Dn. DE LVDEWIG in *Vita Iustiniani M. p. 116. not. II:* ab Ottonis temporibus vix diploma Caesareum, quod hoc prologo careat, reperiatur.

§. VI.

Caue autem existimes, proprium semper ac perpetuum harum formularum fuisse vsum, ita, vt numquam fuerit immutatus. Multis enim exemplis compertum est, formulas vni Imp. familiares, ab altero neglectas esse, et alias vsurpatas. Quin ipsi Impp. morem, quem semel sequuti sunt, non raro migrarunt, et ab ea, qua antea vsi sunt, inuocatione recesserunt. * Ex instituto hoc demonstrauit IOD. HERM. NVNNING in *Vindic. verit. dipl. Caroli M. de Scholis Osnabrug. §. 1.* **.

* Suspectum igitur est propter aliam potius, quam propter hanc caussam mutatae inuocationis formulae, diploma Henrici II. Imp. de an. 1014., quo inter alia bona et regalia D. Petro concessa refertur magnus ducatus Beneuentanus, ap. BARONIVM *ad an. 1014.* GOLDASTVM *constitut. imperial. T. I. p. 229.* TOLNERVM *cod. diplomat. p. 24.* quum iste ducatus demum ab Henrico III. Pontifici Rom. cesserit. Initium diplomatis hoc est: *in nomine Domini Dei omnipotentis Patris, Filii et Spiritus Sancti. Ego Henricus Dei gratia, Imp. Aug. spondeo;* alia vero Henrici II. diplomata ita inchoantur: *in nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Henricus, diuina fauente clementia. Rom. Imp. Augustus.* conf. STRVVIVS *in corp. iur. publ. p. 45.*

** Hinc

** Hinc non inconcinne dixeris, formulas inuocationum esse vel *ordinarias*, quae frequentius et plerumque leguntur, vel *extraordinarias*, quae rarius occurrunt.

§. VII.

Sic quamuis solemnis Conrado I. et Henrico I. inuocationis formula esset: *in nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis;* tamen Otto M. in diplomate de anno DCCCCXXXVII. apud HEDAM in *Histor. Vltraiect. p. 82.* alia vsus est: *in nomine domini nostri Iesu Christi.* Paullo post hic Imp. a se ipso defecit, et diploma Abbatiae S. Cornelii concessum de an. DCCCCXLVIII. apud LÜNIG in *Spicileg. eccles. T. III. p. 726.* aliter hunc in modum exorsus est: *in nomine Domini Dei et Saluatoris nostri Iesu Christi.* Plura huius rei exempla vide in CHRON. GOTTWIC. *L. II. p. 118. sq.* Nulla autem ex inuocationum formulis frequentius et constantius vsurpata legitur, quam ea, qua sancta Trinitas inuocatur. *

* Pontificum rescripta s. bullas nullam praeferre inuocationem, et statim ab inscriptione inchoari, MABILLONIVS *L. II. de re diplomat. c. 2. p. 61.* statuit. Cuius rei caussam adlegat POLYC. LEYSERVS in diss. *de iis, quae Iustiniano imperite supposita.*

§. VIII.

Ex his generales hasce regulas eruimus.

I. Sublestae fidei sunt Merouingorum diplomata, quae inuocationem diuini numinis praemissam habent. (§. IIII.)

II. Diplomata Carolingorum genuina ante Carolum Caluum non inchoantur formula: *in nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis.* (§. V.)

III. Varius et inconstans sub Impp. Germanicis fuit inuocandi formularum vsus. (§. VI.)

IIII. For-

IIII. Formulae inuocationum aliae ordinariae, aliae extraordinariae. (§. VI.)

V. Inuocatio ſanctae Trinitatis reliquis omnibus frequentior et vſitatior eſt in diplomatibus Germanicis. (§. VII.)

CAPVT II.

DE NOMINIBVS ET TITVLIS REGVM ET IMPERATORVM GERM. IN DIPLOMATIBVS.

§. VIIII.

SEQVVNTVR iam formulae, quae nomina et titulos Regum et Impp. continent, de quibus tenendae regulae ſequentes. Prima eſto: *Nomina antiquiſſimorum Germaniae Regum ſimpliciter ſine praemiſſo pronomine ſingularis, aut pluralis numeri in diplomatis genuinis expreſſa ſunt.*

§. X.

Obſeruatur hoc quoque in Regum Francorum tam Merouingicae, quam Carolingicae ſtirpis diplomatibus, vti teſtantur ſpecimina apud MABILLON *L. V. de re diplomat.* Et quamuis vir hic doctiſſimus contra PAPEBROCHIVM in *Propyl. antiqu. n. 34.* oſtenderit, antiquiſſimos Francorum Reges tum ante, tum poſt Dagobertum numero multitudinis de ſe loquutos eſſe; illud tamen intelligendum ſaltim eſt de ipſo diplomatum contextu. Nam in exordio pronomine vtriusque numeri abſtinuerunt, quod ipſe fatetur. At in Germaniae Regum diplomatibus poſitum vocabulum NOS, quod genus loquendi nonnullis maieſtaticum vocatur, manifeſtum eſt fraudis et νοθείας indicium. Hinc recte

BENIAM.

BENIAM. LEVBER in *Disquisit. Stapul. Saxon. n. 1524.* diploma Ottonis M. Magdeburgense ideo falsi insimulauit, quod pronomen hoc plane inusitatum titulo praemittatur. Originem huius moris in Germ. diplomata cum additamento NOS auspicandi ab Interregni M. temporibus repetit IO. NIC. HERTIVS de *fide diplomatum Sect. I. §. XI.* Rationem vero huius formulae elegantem reddit IO. PETRVS DE LVDEWIG ad *A. B. P. I. p. 6.*

* Priuilegium Iulii Caesaris, quod domui Austriacae datum fertur, his verbis est scriptum: *Nos Iulius Imperator, nos Caesar et cultor Deorum, nos supremus terrae imperialis Augustus.* Nero autem ita auspicatur diploma: *Nos Nero, amicus Deorum, et fidei eorum propagator, Receptor potestatis Romanae, Imp. et Caesar Augustus.* Quot verba, tot paene falsi argumenta! Credibile scilicet est, Romanum aliquem ex illa aetate scripsisse: *Nos Iulius; terra imperialis; fidei propagator etc.* Quid quaeso ab vsu saeculi primi et aureae aetatis, tam barbara, tam vitiis inquinata oratione magis est alienum? conf. *pag. 37. not.*

§. XI.

Quod de pronomine numeri multitudinis diximus, illud quoque valet de altero singularis numeri pronomine *Ego.* Vtitur quidem eo Otto II. Imp. in diplomate de dono Adelheidis, Imperatricis, Monasterio Murbacensi apud EDMVND. MARTENE *T. I. Thesaur. Anecdot.* nec non Henricus II. in transactione inter Episcopatum Wormatiensem et Monasterium Laurishaimense de an. MXXIII. apud FREHERVM *T. I. Scriptor. rer. Germanic. p. 74.* verbis hisce: *Ego Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus.* Sed per errorem imperiti notarii forte in haec diplomata pronomen illud irrepsit; et multis dubiis pronominum vsum obnoxium esse, egregie monet *Auctor Chronici Gottwicensis L. II. p. 232.*

§. XII.

Altera regula est: *priores Germaniae Reges solo Regis titulo sine vllo additamento vsi sunt.* * Sic Conradus I. simpliciter se adpellauit Regem sine vllo additamento, vel Regis Germaniae, vel Alemanniae, et numquam titulum Imperatoris, aut Regis Romanorum vsurpauit. Ita quoque Henricus Auceps, et Otto M. licet hic in quibusdam diplomatibus *Lotharienfium et Francigenum et Germanensium* quoque Regem ante adeptam Imp. dignitatem sese scripserit. Tanto magis vero hoc mireris, quod iam primae stirpis Francicae Reges, et praesertim Carolus M. se Reges Francorum in suis diplomatis dixerint. MABILLON *L. II. de re diplomat. cap. III. et IV.*

* Titulorum Regis et Imperatoris coniunctio in diplomatibus Impp. Carolingicae stirpis manifestum νόθείας est indicium. Etenim Caroli M. successores Augusti vel Imperatoris nomen non a die consecrationis Pontificiae, sed quisque a morte patris, vel designatione successoris ab eo facta adsumserunt. Hinc nec annos imperii et regni distinxerunt, nec Regem ab Imperatore, vt ex diplomatibus praeclare obseruauit ONVPH. PANVINIVS de *comitibus Imp. c. 5.* adde CONRINGIVM *de Germ. Imp. Roman. c. 10.* ad. LAMPAD. P. III. c. 2. p. 102. V. WEGELIN *de praerogatiua ciuitat. Lindau. prae coenobio Lindau. p. 250.* Etiamsi vero ipsi Reges Carolingicae stirpis Imperatoris titulo in chartis suis non vterentur: tamen monachi, aliique scriptores saepenumero illos Imperatoris nomine ornabant, quod nono iam saeculo factum esse obseruamus. Non ergo falsis adnumerandae sunt tabulae, in quibus Ludouicus Germ. ab aliis Imperator dicitur. Sed merito suspecta habentur, quae ipsi Ludouico tribuuntur diplomata, si Caesaris vel Imperatoris Augusti nomen praeferunt. vid. HEINECCIVS *histor. Ludou. Germ. p. 706.*

** Nomina a vitiis aut virtutibus imposita v. g. *magnus*, *pius*, *crassus*, *caluus* in diplomatibus non leguntur. WIG. HVNDIVS *Metropol. Salisburg. T. II. p. 18.* diploma an. IↃCCCLXXXIII. datum Caroli *Calui* nomine inscripsit per imprudentiam, contra morem curiae. Carolus enim a probroso Calui nomine se abstinuit, nec

in tabulas illud vmquam retulit, quia contumeliosum erat. vid. SCHVRZFLEISCH in diss. *de Conrado Imp. §. 5.* FREHERVS *ad constitut. de exped. Rom.* in *celeberrimi* GEBAVERI *edit. Schilteri Instit. iur. feudal. p. 240.*

§. XIII.

Tertio obseruandum est: *formulas titulorum pro diuersitate dignitatis regiae et imperialis diuersas esse.* Ex quo imperium Romanum cum regno Germaniae, per pactum solemne inter Ottonem M. et Leonem VIII. P. R. anno DCCCCLXIV. initum, coniunctum est; Dn. IO. VLRICVS CRAMER in Progr. *de coniunct. imper. Rom. cum regno Germ. sub Ottone I.* adde SCHILTER *de libertat. ecclesiar. Germ. L. III. Cap. V. §. 11. sq.* perpetuo hoc discrimen in diplomatibus seruatum est. Ante susceptam enim Romae coronationem simpliciter se adpellabant Reges v. g. *Otto diuina fauente clementia Rex.* Si vero consequuti essent imperialem dignitatem: *Imperatoris*, aut *Imperatoris Romanorum* adpellationem sibi tribuebant. Ita Ottonis Imp. formula est: *Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus.*

§. XIIII.

Sequatur regula quarta: *Regis Romanorum titulus ante Henrici II. tempora insolitus et spurius est.* In diuersa de origine huius tituli abeunt eruditi. Nonnulli iam tempore Carolingicorum Imperatorum Reges Romanos fuisse tradunt, a quibus dissentit SCHVRZFLEISCHIVS diss. *de Conrado Imp. §. 2. 3.* vtpote qui Carolingicos Imperatores ante partam Imperatoris Augusti dignitatem solo regis vocabulo vsos esse, docet, in diplomatibus illa aetate scriptis. Ac tantum abest, vt inter Reges Carolingicos Regem Romanum reperias, vt hocce dignitatis vocabulum ne in Saxonicorum quidem

Impp. tabulis occurrere ostenderit HOFFMANNVS, diss. *de Rege Rom. viuente Imperat. electo* §. 1. p. 7. conf. HEINECCIVS *vita Ludou. Germ.* p. 707. IO. SCHILTERVS * *Institut. Iuris publ.* Tomo II. T. I. n. 14. a Carolo I. eam repetit; alii Henricorum III. et IV. temporibus quaerunt, a quibus suam sententiam seiungit HERTIVS de *fide diplomat. Sect. II.* §. I. *in notis*, qui Fridericum I. titulum hunc introduxisse scribit. Sed Henricum II. Imp. hoc titulo vsum esse, patet ex diplomate Paderbornensi ecclesiae concesso apud LÜNIG *Spicileg. eccles.* Tomo II. p. 704. et diplomate, quod exstat in SCHANNATI *Corpore Tradition. Fuldens.* n. 593. p. 243. Ex quo antiquiorem hunc titulum Henricorum et Friderici Barbarossae aetate esse, vnusquisque intelligit

* Ipse a se dissentit SCHILTERVS, quippe qui *Tr. de libertate eccles. German. L. V. c. 7.* §. 8. ante Fridericum II. sub titulo *Regum Germanorum* ad imperium euectos esse successores existimat, ac tempore Conradi IIII. Friderici II. filii, inuenisse sibi videtur morem coeptum, vel potius ex Bulla Hadriani Pontificis repetitum suscipiendi tituli Romanorum Regis. Addit, l. c. optimo consilio id esse factum, vt eo minus litium mouere postea Romanus posset praesul, postulata consecratione et iure parili, quum electus Rex Germ. eo ipso etiam Roman. Rex esset, et futurus Imperator.

§. XV.

Quinto velim obserues: *titulum semper Augusti iam sub initium saeculi IIII. tempore Constantini M. frequentius esse vsurpatum.* Documento sunt multae inscriptiones monimentorum publice positorum a GRVTERO collectae, *inscript. antiquis* p. 282. n. 3. p. 283. n. 4. 8. 9. p. 284. n. 1. 2. p. 1086. n. 4. 5. Neque, vt fit in huiusmodi re, subito inualuit huius vocabuli consuetudo, sed paullatim coepit frequentari. Primum, quod sciam, monimentum, in quo inscriptum illud adparet, GRVTERVS ex *Camdeno*

deno attulit *l. c. p. 272. n. 9.* in Cumberlandia repertum, his verbis: OB. HONOREM. PHILIPPI. IMPERATORIS. NOBILISS. SEMPER. AVGVSTI. ET. PHILIPPI. CAESARIS. NOBILISSIMI. Itaque quum regnum Philippi, Arabis scilicet, qui haud dubie intelligitur, in saeculi tertii dimidium inciderit, quo tempore credibile est, exstructum esse hoc monimentum, etsi forte post obitum Philippi demum sit factum: adparet, antiquissimam esse *semper Augusti* adpellationem; quippe quae aliquoties et Diocletiano, hoc ipso aeuo regnanti, fuit tributa, GRVT. *l. c. p. 278. 279.* EZECH. SPANHEMIVS *d. V. et P. N. T. II. p. m. 384.* et, qui hunc excipit, Constantio, GRVT. *p. 280.* Postero tempore *semper Augustus* legitur crebrius in monimentis Iuliano (de Constantino enim iam diximus), Iouiano, Valentiniano, Grotiano positis, quod probant de Iuliano quidem MARMORA TAVRINENS. *P. I. p. 249.* et GRVTERVS de hoc ipso pariter atque de ceteris *p. 284. 285. 1086.* Mirum igitur est, quam frustra sint LEVBERVS *disquis. stapul. Saxon. n. 1532.* et CONRING *in notis ad Lampadium c. II. p. 103.* Illi enim Fridericum I. Imp. huius adpellationis auctorem faciunt; quos, vt fit, presso pede plerique sequuntur. Quorum vero sententiam loco iam mouit THVLEMARIVS *in diss. de titulo semper Augusti.* * Quid igitur ex his, quae modo diximus, de semper Augusti vocabulo, consequens esse volumus? Hoc scilicet, *vt propter hanc vnicam caussam, quod scriptum sit in praecepto semper Augusti vocabulum, nullius fides diplomatis labefactetur, quippe quod antiquissimum est.* **

* Titulus ille non ominabatur incrementa imperii, sed aeternitatem et perpetuitatem in imperio, et numquam futuros priuatos. vid. SAMVEL. PITISCI *Lexic. antiquit. v. semper Augustus.* conf.

 SCHVRZ.

SCHVRZFLEISCH diss. *de Conrado Imp.*, quo loco disputatum est, num recte Augusti vocabulum Germanice reddatur: *Mehrer des Reichs*, et quando id obtinuerit.

** Non pauca quidem diplomata, quae semper Augusti titulum prae se ferunt, suspecta merito habentur, vt constitutio Ottonis M. de locatione et priuilegio Camerae imperialis de an. clɔccccxxxxvii. apud GOLDASTVM *Tom. I. Constitut. Imperial. p. 215.* et Ottonis II. Constitutio, tot scilicet doctissimorum hominum argumentis conuicta; de confirmatione iuris municipalis Magdeburgensium et praerogatiuae Scabinorum apud LEVBERVM *l. c. n. 601.* cuius principium est: *Nos Otto Dei gratia Romanorum Imperat. semper Augustus.* Nolumus tamen fraudis arguere, ob hanc ipsam rem alia, quae hunc titulum habent, diplomata. v. HERTIVS *l. c. Sect. I. §. XI.* HEINECCIVS de *Sigillis P. I. c. VIIII.* §. 55. Otto quidem primus matrem etiam suam *semper Augustam* vocat, in diplomate de an. Iɔcccclxviii. apud LÜNIG *T. III. Spicileg. ecclesiast. p. 184.* [Paragraphum superiorem ex mea ipsius sententia immutare, quum certiora quae essent, haberem, nullus dubitaui, praesertim, quum accuratius hoc modo regula constituatur, ex qua fides atque auctoritas diplomatum quodammodo pendet. Blasche.]

§. XVI.

Titulis praemittuntur formulae: *diuina clementia, diuina fauente clementia, diuina concedente, auxiliante, propitiante, iuuante, disponente, dispensante, miserante, praeordinante clementia.* Tanta autem illarum est varietas ac diuersitas, vt operam et oleum perditurus esset, qui certam et vniuersalem de illis regulam suppeditare vellet. Consultius potius foret cuiuis Regi et Imperatori proprias huius generis formulas notare, ex quo facilius certi quid colligi potest. Crebrius autem occurrit formula: diuina fauente clementia, quaeque reliquis constantius vsurpata est. Non minus illa antiqua est, quam altera *Dei gratia*, siquidem in chartis Caroli M., quae habentur in *Formulis Alsaticis*, quas in Commentar. *ad L. Salicam p. 236.* edidit IO. GEORG. ECCARD, iam occurrit,

currit, eamdemque rationem habet. Hinc quoque hac pro illa vſi ſunt Imperatores. De formula *Dei gratia* diximus ſupra. * Hic addimus, originem eius a Graecis Imperatoribus a nonnullis repeti. De Leone Imp. probat BECMANNVS in *Notitia dignitat. T. I. Diſſ. I. Cap. III. §. 7.* eum adhibuiſſe formulam Λέων ἐν Θεῷ βασιλεὺς, et alibi ἐν ὀνόματι τȣ̃ δεσπότȣ, Ιησȣ̃ χριςȣ̃ τȣ̃ Θεȣ̃ ἡμῶν αὐτοκράτωρ καίσαρ. Exinde colligit, poſtea hanc formulam in alteram *Dei gratia* transfuſam et mutatam eſſe. Caeterum communis haec formula fuit Regibus Francorum, Hiſpanorum, Anglorum, aliorumque, quod ex diplomatibus illorum ſatis luculenter adparet. Ratio itaque fugit laudatum LEVBERVM *de Stapul. Saxon. n. 1539.* exiſtimantem, nullum in Occidente Regem Ottonis M. tempore fuiſſe, cui formula haec placuerit.

* Non abs re viſum eſt, ſuccinctam huius formulae hiſtoriam hic addere, decerptam ex *viri ill.* LENZII *conſiliarii aulici* libello breui, qui nomine auctoris ſuppreſſo, ita eſt inſcriptus: *von Gottes und des heil. apoſtol. Stuhls Gnaden, aus Magdeburgiſchen, Saechſiſchen, Anhaltiſchen und andern diplomatibus erlaeutert. Halle* 1748. Anſam huic, vt vulgo creditur, alia praebuit pietatis aduerſus Deum pleniſſima formula: *in nomine ſanctae et indiuiduae trinitatis*, vel ſimile quid huius. Profecta igitur illa ab ordinis ſacri hominibus in oriente parte, et a *Leone*, Imp. accepta, tranſiit poſtea in occidentem. Vbi a clericis haud raro, aliis atque aliis vocibus vſurpata, *Pipino* primum regi percommoda viſa eſt, ad ſpeciem imperii honeſti, quod iniquitate partum erat, induendam. Hunc et ſui ſucceſſores et alii Reges ac Imperatores ſunt ſequuti. Itaque, quod cultui diuino tributum erat ab initio vocabulum, deinceps arrogantiae hominum ceſſit, et maieſtatis exſtitit indicium. Quod quum ita eſſet: aliis deinceps coepit ſupremae dignitatis formula, magnopere placere. Ac primum quidem illa vſi ſunt Comites Burgundiae, quibus longo poſt interuallo a Carolo VII. Rege ea interdictum eſt. Hos S. R. I. Principes et Comites ſequebantur Imperatorum Henrici IIII. et V. aeuo, quum terras illi ſuas hereditario nomine poſſidere coepiſſent. Nec deſunt exempla generoſae ſtir-

pis hominum, de *Hackeborn*, de *Stegelitz*, de *Franckenstein*, de *Plotho*, de *Asseburg*, qui suis in diplomatibus cum ista formula superbiunt saeculo XIII. et XIIII. Immo etiam, quod mireris, alicubi legas in diplomate de an. 1254. *Iohannem, Dei gratia, aduocatum*, (h. e. iudicem atque praefectum) *in Alstede*. Ad dignitatis sacrae viros principes quod attinet, sunt, qui Coloniensem Episcopum, *Cunibertum*, an. 623. ea iam vsum esse adfirmant. Certa res est de *Lucullo*, Moguntino Archiepiscopo, qui an. 785. Pipinum et Carolum imitatus est. Frequens postero tempore mentio fit formulae in Magdeburgensium episcoporum diplomatibus. *Nos* illud multitudinis numero dignitatem significans, serius accessit. Mirum est, immo ridiculum, legere in diplomatibus sesquipedalium hominum cum mitra atque sandalio, quam sibi, saeculo XIII. potissimum cum hac formula placuerint; scilicet non Praepositi solum atque Decani cathedrales, sed custodes etiam Canonici, et Praepositi, Abbates, Abbatissae, Priorissae. Nec desierunt illi tantopere sibi indulgere, donec saeculo XV. ineptae arrogantiae modus poneretur a Principibus imperii, quippe qui suae dignitatis potestatisque rationem habere diligentius paullatim coepissent. Postremo neque hoc est praetereundum, quemadmodum Bohemorum Rex *Ottocar*, accepto a Rudolpho possidendi iure, *Dei et Imperatoris gratiam*, in monimentis suis coluit; consimili ratione Episcopos saeculo iam tertio decimo, *Dei et apostolicae sedis gratiam* diplomatibus suis praemisisse; siue quod memores essent, Romani Pontificis potissimum auctoritate et beneficio ad Episcopatum se adspirauisse; siue quod alia de caussa eidem blandirentur. conf. BERNH. CLEM. METTINGH, *de statu militiae Germanorum* p. 367. n) Blasche.

† Thomas Capuanus, Innocentii IIII. ad Fridericum II. legatus an. 1232. in *dictatore epistolarum* apud HAHNIVM *Collectione monument. veterum et recentium T. I. p. 283.* „Et est notandum, quod „magnus semper potest dicere de se: Dei gratia, ni scribat summo „Pontifici, vel Regi, et tunc debet hoc humilitatis caussa tacere. „Nam summus Pontifex nunquam ponit in suis litteris: Dei gratia. „Sed quia imitator est humilis Christi, dicit: Innocentius Episco„pus seruus seruorum Dei etc. Et est notandum, quod mediocres „personae vel minores non debent de se dicere: Dei gratia, quia „hoc verbum quodammodo arrogantiam vel dignitatem magnam, „vel magnificentiam importare videtur.

§. XVII.

§. XVII.

Proxime titulis collocatur *intimatio*, qua omnium notitiae diploma fubiicitur. Haec vel prooemio quodam inchoatur, vel illo caret. Prooemium exponit cauffam, qua Rex vel Imperator inductus tale praeceptum ftatuerit, aut aliquid concefferit. vid. *Auctor Syntagmatum dictandi*, cuius verba fupra adfcripfimus.

§. XVIII.

In donationibus folemnis et perpetua fere formula, qua cauffa impulfiua conceffionis commemoratur, haec eft: *ob remedium animae*, *ob mercedem animae*, *ob praefentis vitae profperitatem et futurae beatitudinem.* Ita hominum non modo ex imperita plebe, fed ipforum etiam Principum animos, veluti peftilenti quodam fidere opinio adflauerat, donationibus et bonis Clericorum vfibus addictis animae faluti confuli. Quum tam effufe, in viuis quum effent, bona ecclefiis monafteriisque donarent; quid mirum, moribundos multo magis fuiffe liberales? Hinc vix olim conditum teftamentum reperias, quo non aliquid piis cauffis relictum fit. *

* Communis erat veterum opinio, quo quisque plus auri argentiue in ecclefias expenderet, eo certiorem illum de abolitione peccatorum, ipfaque beatitate fempiterna fpem atque fiduciam poffe concipere. Hinc formulae illae in medii aeui chartis frequentiffimae: *pretium animae viri diuitiae eius; date eleemofynam, et ecce! omnia munda funt vobis.* Proinde opinionem de merito operum omnia fere diplomata produnt, quafi caelum pecunia emi poffit. HAHN *T. I. monumentor. veter. p. 75. et 77.* conf. HEINECCIVS *de vita et rebus geft. Ludou. German. p. 743.*

§. XVIIII.

Ipfa autem intimatio duplici modo facta eft. Nonnumquam enim fimplicibus verbis enunciatur hifce for-

mulis: *nouerint omnes fideles tam praesentes, quam futuri: notum sit omnibus fidelibus tam praesentibus, quam futuris.* Aliquando vero substantiuo quodam exprimitur hoc modo: *nouerit omnium tam praesentium quam futurorum solertia, sagacitas, industria:* item: *volumus ad singularem fidelium nostrorum praesentium et futurorum notitiam peruenire.* At in confirmationibus antiquorum priuilegiorum solemnis formula est: *obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis, praeceptum etc.* ideoque formulae paullo ante recensitae in concessionibus priuilegiorum locum tantum videntur habuisse. Saepe quoque intimatio fit enumeratis personarum qualitatibus et conditionibus, velut: *dilectis fidelibus vniuersis paribus nobilibus, Castellanis, hominibus censualibus ac hominibus omnibus cuiuscunque conditionis*, quae formula Wilhelmo Batauo placuit in diplomate apud LÜNIG *Spicileg. eccles. Continuat. I. p. 4.* Variae sunt eius generis formulae, quae vix certa regula constant.

CAPVT III.
DE CONTEXTV DIPLOMATVM ITEM DE IMPRECATIONIBVS.

§. XX.

POSTQVAM satis explicandis honorum nominibus, quibus sibi in diplomatibus placent Reges et Imperatores, immorati, easque formulas, quae ad praefationem diplomatis pertinere videbantur, persequuti sumus: nihil superest, quam vt ad illustrandum diplomatis contextum progrediamur. In eo vero notanda sunt I. nomina et elogia hominum, quibus aliquid conceditur;

tur; II. tituli, quos fibi ipfi tribuunt Reges et Imperatores, et denique III. id, de quo in diplomate agitur, feu res, quae in diplomate conceditur. Horum omnium in examine diplomatum rationem habendam effe, vnusquisque facile animaduertit.

§. XXI.

Quandoquidem titulorum philofophia ita confuetudini feruit, vt nihil magis, tamque varias mutationes expertum fit; animus eft, pauca tantum, non proletaria tamen, nec iniucunda de titulis delibare. Primo itaque tenendum, *titulo Principum nullum Imperatorum ante Henricum Aucupem vfum effe, nec diploma ante illa tempora exftare, in quo mentio fiat Principum imperii.* * Regulam hanc debemus PAPEBROCHIO in *Propylaco P. I. n. 22.* Equidem coaeuis fcriptoribus fatis familiare eft vocabulum Principum imperii, quin in antiquis Alamannorum legibus iam principum mentionem fieri obferuamus. Conf. *Prologus LL. Alaman.* Ludouicus IV. Imperator in *Confirmat. Concambii* apud SCHANNAT in *Corpor. Tradit. Fuldenf. n. 543. p. 220.* ait: *annuentibus atque fauentibus cunctis, qui aderant, Principibus.* Recentius exemplum habes in DITMARO *L. I. Annal. p. 325. Otto ab omnibus Regni Principibus in Regem electus Conradum fibi quafi ad hoc indigno praepofuit.* ** Duplex autem huius verbi ratio eft. Primo enim Principes dicuntur proceres regni et primarii Palatii adminiftri, quod vel inde liquet, quod Comites quoque Principes adpellati funt. Nam Ridaggus Comes *ftrenuiffimus Princeps* vocatur in charta Alfridi, Hildesheimenfis Epifcopi de an. 872. apud LEVCKFELD in *Antiquitat. Gandersheimenf. cap. XXV. p. 287.* Alio fenfu Principes vocantur

cantur domini territoriales, quales Germaniam Conradi I. aetate ignorasse adfirmant, qui rectius sapiunt. Quae quum ita sint; mirum omnino videri potest, nullum huius verbi vsum in diplomatibus obseruari. Attamen satis exploratum est, ex genuinis diplomatibus ante Conradum I. et Henricum I. quin iis, quae horum Regum temporibus edita sunt, principum vocem plane exulare. Hinc falsitatis notam incurrunt constitutio de expeditione Romana, diploma Carolinum de basilica Aquisgranensi, diploma Ottonis M. Magdeburgense vel eo nomine, quod principum imperii mentio in illis fiat.

* Diplomata, quae ante exstinctam Carolinam stirpem mentionem faciunt vel ***principum***, vel formulae: ***nostro et imperii***, aut ***imperii principum*** consensu habenda sunt pro spuriis, falsis. MABILLON *d. Re dipl. II. c. 1. p. 220*. Omnia diplomata, quibus in ius proprium alicui ducatus aut comitatus confertur ante Henricum Aucupem, falsa sunt. vid. DE LVDEWIG *singul. iur. publ. p. 104*.

** Albericus Monachus trium fontium ad an. 1234. p. 550. ***Nota***, inquit, ***in Alemannia omnes Archiepiscopi et Episcopi, quidam excellentiores Abbates, et omnes Duces, et quidam Marchiones, et Landgrauius Thuringiae, et Palatinus Comes de Rheno, omnes isti vocantur Principes; ceteri autem sunt. vel Comites, vel Castellani, vel Nobiles.*** vid. V. C. SCHROETERI diss. ***de differentia iur. Rom. et Germ. circa connubia impar.***

§. XXII.

Quemadmodum priores episcopi a fastu et dominatu mirum in modum abhorrebant, et vitae potius sanctitate morumque integritate, quam splendore alios anteibant: ita quoque splendidis titulis, qui vanitatis quid spirare videbantur, nec ipsi vsi, nec ab aliis ornati sunt. Hinc Archiepiscopi, episcopi, abbates in diplomatibus Regum Germaniae audiunt *sancti*, *venerabiles*, *honorabiles*, *dilecti*; aliquando *fideles* compellantur. Henricus II. Imp. in diplomate Gandersheimensi de an.

MXXI.

MXXI. apud LEVCKFELD in *Antiquitat. Gandersheimens. cap. XIV. p. 115.* Pilegrimum *venerabilem* Coloniensis ecclesiae Archiepiscopum, item fidelissimum vocat. *Venerabilitas*, inquit CAROLVS CANGIVS, *titulus honorarius episcoporum, qui venerabiles vulgo compellantur.* Egregie hoc confirmat IOACH. VADIANVS de *colleg. monasteriisque Germ. L. II. p. m. 42.* apud Goldastum, vbi ait: *iam quod sanctum et in Christo venerabilem patrem vocant, illius aetatis more est factum. Siquidem episcopos et abbates vulgo sanctos et venerabiles dicebant.* Nec aliter ferebat vsus aetate Carolingorum, cuius quum non meminisset fabricator diplomatis Lindauiensis: turpiter admodum se dedit, et fraudis indicium luculentissimum ipse ostendit. Rabanum et Salomonem, sacrorum antistites, *illustres* adpellat, quos tamen saeculari more honoratos esse a Ludouico Pio, nemo sibi persuaserit. Nam quamuis priuati in suis litteris sacrorum Praesules ex adulandi studio, aut pro suo in eos amore illustres salutarent, vti ex Marculphi formulis, aliisque exemplis constat; tamen illi ex regii palatii consuetudine numquam ita compellati sunt. Sic Hilduinum, Archicapellanum, quem Agobardus, amori indulgens, non semel illustris titulo ornauit, Ludouicum Pium semper *virum venerabilem* dixisse, obseruauit TENZELIVS in *Vindic. Censur. diplom. Lindauiens.*

§. XXIII.

Titulo *illustris* * nullus apud Francos splendidior et illustrior fuit, vti recte monuit MABILLON *L. II. de re diplomat. cap. III. §. 4.* Hinc ipsi Reges eo insigniri voluerunt in diplomatibus, quae ita inchoantur: *Dagobertus Rex Francorum vir illuster: Pippinus Rex Francorum*

corum vir inluster. Poſtea vero quam Carolus M. imperio potitus eſt, illuſtris nomen inſuper habuit, aliique eius exemplo Imperatores et Reges Germanorum. Tum demum hoc dignitatis verbum proprium eſſe coepit optimatibus, ducibus nempe et comitibus, numquam vero ſacri ordinis hominibus adtributum eſt, vti paullo ante obſeruauimus. Origo eius arceſſenda eſt a Romanis, qui titulum hunc deferebant Praefectis Praetorio, Quaeſtoribus, Magiſtris militum, aliisque, quin et Regibus exteris, qui ſummo honori hoc ſibi ducebant, vti erudite, more ſuo, oſtendit CAROLVS DV FRESNE *Diſſert. XXIII. ad Ioinuille.* Sic ad Francos demum tranſiit.

* Conf. BOEHMERI Diſſert. *de ſecund. nupt. perſonar. illuſtr.* STRVVIVS in *Iurisprud. heroic.* et in *Corpor. iur. publ.* itemque GOTTF. LEONH. BAVDISII Diſſ. *de titulis viri illuſtris, ſpectabilis, clariſſimi etc. olim aulicis, nunc ſcholaſticis. Lipſ.*

§. XXIIII.

Nobiles * in diplomatibus vsque ad faeculum fere decimum quintum dicuntur, non qui hodie hoc nomine conſpicui ſunt, quippe quos miniſteriales et milites olim vocatos eſſe conſtat, ALBERT. KRANTZIVS *L. I. Metropolis cap. II. et L. III. c. II.* ſed Proceres regni Germanici, Duces, Principes, Comites et Barones. Nam quamuis iam ante id tempus in nonnullis diplomatibus milites et miniſteriales ** nobilium titulo condecoratos eſſe obſeruemus, qualia exempla occurrunt apud Dn. DE LVDEWIG *Tom. IV. Reliquiar. MSCtor. p. 182. et 186.* et doctiſſimum CHRIST. GOTTL. RICCIVM in *Part. I. des Entwurfs von dem Landſäſſigen Adel in Teutſchland cap. XXXIX. §. VI.*: factum tamen hoc eſt ex ſingulari Principum quorundam beneuolentia, quam ad exemplum

emplum non trahendam esse nemo ignorat. Quanto in honore et pretio in Germania habitus fuerit hic titulus, vel exinde colligamus licet, quod ipsis Regibus et Imperatoribus non indignus visus est, quemadmodum Henricus Imp. vocatur *der edle Herr Kayser Henrich* apud *Auctorem der Lindauischen Ausführung p. 668.* Hinc hodie quoque Pontifex Electores et principes in litteris suis nobiles compellare solet. vid. IO. FRID. PFEFFINGER in *Vitriario illustrato Tom. I. p. 1069.* Plura de titulo nobilis habent HVLDERICVS AB EYBEN in Diss. *de titulo nobilis §. X.* et quem honoris caussa nomino, vir illustris, IO. GEORG. ESTOR in *commentar. de ministerialibus p. 360. vsque 416.* vbi plena manu sparguntur exempla, quae rem luculentissime probant. Liceat iam addere, quod sponte quasi se offert, rationem illos maxime fugere, qui nobilitatis in superiorem et inferiorem distinctioni antiquiorem saeculo XV. originem vindicare contendunt, quippe quam hoc ipso demum tempore inualuisse res ipsa monet, et tam praeclare demonstratum est a viris harum rerum intelligentibus, vt caussa merito perorata videatur.

* Nobiles in diplomatibus Carolingicis passim vocantur *potentes regionis.* Quo quidem nobilitatis nomine CONRINGIVS in Diss. de *ciuitat. imp. §. 25.* illos solos intelligit, qui iuris dicundi potestate vtentes vulgo *Gräffen* aut *Fürsten* sunt adpellati. CAROL. FRID. SCHOEPF in *praef. relation. diplomatico historicae de fratribus domus S. Kiliani,* monet, multo ante saec. XIIII. imperii equitibus titulum nobilium esse tributum. Sed falsus est. conf. *ephemerides litterariae Goettingenses 1741. plag. 97.*

** *Ill.* GLAFEY *de ministerial. L. I. c. III. sect. I. m. II. §. 14. 15. 16.* et Dn. DE GVDENVS *in syllog. diplom. p. 144.* varia attulerunt diplomata, in quibus titulus nobilis militaribus et ministerialibus tribuitur. add. STRVBEN *obseru. iur. histor. Germ. obs. I.*

§. XXV.

§. XXV.

In elogiis, quibus in contextu diplomatum vtuntur Reges et Imperatores, dum de se loquuntur, mirum in modum variatum est. Mox enim *celsitudinis*, mox *maiestatis*, mox *serenitatis*, mox *regalis magnificentiae*, mox *sublimitatis*, mox *regalis culminis*, aut simili titulo delectantur. Ex recensitis titulis plerosque omnes iam adhibuit Otto M. in diplomatibus teste Auctore CHRON. GOTTWIC. *L. II. p. 170.* Sunt qui credi sibi sine sponsore volunt, Francicos Reges primae et secundae stirpis, et Saxonicos Imperatores potestatem suam numquam *maiestatis* nomine insigniuisse, sed eius loco aut celsitudinem, aut Serenitatem, aut Amplitudinem nostram dixisse. Minime omnium vellem haec excidisse BENIAM. LEVBERO de *Stapula Saxon. n. 1533.* Mitius enim dicere non possum, quam illum errare. Nam Francis maiestatis titulum iam placuisse, ostendit vir summus IO. NIC. HERTIVS *de fide diplomat. Sect. I. §. III.* et Ottones, et ante hos Conradum I. eo vsos esse, compluribus exemplis compertum est. v. CHRON. GOTTWIC. *p. 121. 170. 197. sq.* *Serenitatis* titulus, de quo vid. *Celeb.* HEVMANNI progr. de *titulo Serenissimi, in Poeciles T. III. L. 3.* iam Imperatoribus Rom. familiaris fuit, et saeculo, vt videtur, tertio post Christum natum inualuit. Theodosius iunior et Valentinianus Impp. in L. III. C. de statuis et imagin. *in suae serenitatis imaginibus ac statuis erigendis priuatae collationis iniuriam propulsari praecipiunt.* Idem elogium sibi tribuunt Arcadius et Honorius Impp. in L. XIII. C. de re militari. Hinc sine dubio a Romanis hoc dignitatis vocabulum ad Francos transmissum est. confer. CAROLVM DV FRESNE in *Glossar. hac voce.* De titulo *fraternitatis* inter Reges et Princi-

Principes vſitato egit MOSER in *opuſc. academ. extremo.* Documenta vero ſaeculi XVI., in quibus mentio fit *Churfürſtlicher Durchlauchtigkeit*, falſa ſunt. vid. LEYSER *Med. ad ff. vol. I. 36.*

His, quae in paragrapho dicta ſunt, adde ſequentia:

1) In diplomatibus genuinis vox feudum ante ſaeculum VIIII. fruſtra quaeritur, etſi ANTON. DOMINICVS *de praerogat. allodior. c. XV.* illam ſaeculo VIIII. iam vſitatam fuiſſe, contendat. Hinc falſitatis arguitur Conſtitutio de expeditione Rom., in qua vox iſta reperitur. FREHERVS *in notis ad illam conſtitutionem* ait: „Hanc vocem, ſc. feudum, non credebam tam antiquam, „ſed Friderici demum aeuo cum vſibus et conſuetudinibus illis „natam. Perlegi tot diplomata, tot annales, tot veteres me„morias; *feudum* numquam, beneficia ſemper inueni.„ BVRC. GOTTH. STRVVIVS *in hiſtoria iuris cap. VIII. §. 1. not.* ******* *p. 678.* conf. IO. ADAM. KOPP *hiſtor. Iur. Part. III. p. 84.* Dn. DE LVDEWIG *in iur. client. c. II. p. 22.* „Ipſe, inquit, „mille diplomata, imo clientelares litteras cuiuscumque fere „generis perlegi, nec tamen verbi alius in hoc argumento me„mini, quam beneficii, ſtipendii, clientelae.„ conf. Ill. ac Celeber. GEORG. CHHRISTIAN. GEBAVER in diſſ. *de origine vocis feud. Germ.* cap. I. §. 19. ſq.

2) Formula *beatae memoriae* in diplomatibus non ſemper denotat obitum Principis, quia etiam de viuis illa ſaepenumero vſurpatur, quod docet MVRATORIVS *della antichità Eſtenſi e d'Italiane P. I.* ove ſi tratta dell' origine e d' antichità della caſa d'Eſte *c. 34.* conf. *Illuſtr.* IO. GEORG. ESTOR, *Analect. Fuldenſ. p. 42.*

3) Loquendi modus: *cum conſilio Principum*, ante ſaeculum X. inauditus eſt. Falſa igitur ſunt diplomata cum hac formula, quae ante Henricum Aucupem ſcripta traduntur. v. MABILLON *de re diplomat. L. II. c. I.* add. LVDEWIGIVM *de Princip. S. R. I. poteſt. in ſacr. p. 27.*

§. XXVI.

Eorum, de quibus in diplomatibus agitur, disquiſitio, nobiliſſimam rei diplomaticae partem non immerito conſtituit. Manca autem et imperfecta illa erit ſine

historiarum, iuris tam publici, quam priuati, beneficiarii, ecclesiasticae disciplinae, et earum rerum omnium, quarum in diplomatibus mentio fieri solet, cognitione. Campus itaque latissimus hic se offert excurrendi in nobilissima quaeuis rerum grauissimarum argumenta, et inueniendi multa praeclare minus animaduersa adhuc aliis, aut inuenta, maiori in luce collocandi. Sic, vt exemplo rem illustrem, vnde, quaeso, luculentius seruorum * in Germania status intelligitur, quam ex diplomatibus? nonne haec nomina, discrimina seruorum varia, iura dominorum in eosdem clarissime loquuntur? dic, amabo te, vnde rectius et plenius fata et successionem seruitutis Germanicae discere licet, quam ex diplomatibus? Qui igitur fieri aliter potuit, quam vt insigne lumen in doctrinam hanc illatum sit a viris doctissimis IOACHIMO POTGIESERO in opere de *conditione et statu seruorum apud Germ.* et Ill. IVSTO HENNING BOEHMERO in Dissert. *de iure et statu hominum proprior.* qui ex his ipsis fontibus historiam seruitutis Germ. egregie repetiuerunt.

* De modo vindicandi aut persequendi homines proprios inspiciendum est diploma HENRICI VI. *de hominibus propriis*, quod exstat apud SCHILTERVM *de fine et obiect. iur. publ. R. G.* in *collect. Franckiana p. 95.* Aliud diploma, *Ottonis, Burggrauii de Kirchberg*, huc spectans vid. *ibid. p. 97.*

§. XXVII.

Res, quae in diplomatibus conceduntur, siue corporales, siue incorporales sint, cum longo pertinentiarum syrmate recenseri solent. Formula ita fere se habet: *tradimus praedium cum omnibus appendiciis suis, domibus, aedificiis, mancipiis,* * *vineis, campis, agris, pascuis, siluis, cultis et incultis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis,*

lendinis, mobilibus et immobilibus, viis et inuiis, accessibus et adiacentiis, finibus, exitibus et regressibus etc. Eius generis formulae antiquissimae sunt, quod vel ex L. III. C. *de bonis vacant.* adparet. Nec Henricianis demum temporibus in morem iuit, appendicias rerum concessarum speciatim in diplomatibus enumerare, vti visum est PAPEBROCHIO in *Propyl. P. I.* Nam longe antea Francis in donationibus aliisque chartis priuatis vsitatum fuit, quod docent formulae Marculfi apud BALVZIVM, PISTORIVM aliosque. conf. MABILLON *L. II. de re diplomat. c. VII. §. XI. et L. VI.* vbi specimina profert antiquiorum diplomatum Regum Francorum, in quibus peculiares appendiciarum recensiones habentur.

* Aperte hoc vocabulum indicat, duram adhuc conditionem seruorum, eosque a dominis cum praediis alienatos esse. Exeunte saeculo XIII. haec seruorum adpellatio fere exolcuit, siquidem in diplomatibus serui non *mancipia*, sed *homines proprii* vocantur; id quod argumento est, paullo mitiorem ex eo tempore factam seruorum in Germania conditionem. Caussam huius rei cum cura et insigni eruditionis adparatu eruit V. C. IOACH. POTGIESER *de condit. et statu seruor. L. I. c. III. §. 28.*

§. XXVIII.

Praeterea in contextu diplomatis locum habent imprecationes, quae sunt *sanctiones poenales seu repraesentationes malorum violatoribus diplomatum subeundorum.* Vsus illarum perantiquus est, et Romanos iam suprema sua iudicia, ne irrita fierent, exsecrationibus, veluti praesidiis firmissimis munire consueuisse, nouimus. Vide IO. SAM. STRYCK in Diss. *de exsecrationibus testamentorum.* Ab his ad alias gentes transiit, nimirum Graecos, Francos, et potissimum Germanos, quorum instrumenta tam publica, quam priuata exsecrandi formulis plenissima sunt. MABILLON *de re diplomat. L. II. c. VIII*

Praesul Gottwicensis in CHRON. *L. II. p. 174. 200. 217.* et alibi passim. Ex posterioribus maxime testamenta et donationum instrumenta diris eiusmodi exsecrationibus munita sunt, vt nullum facile eorum, quod medio aeuo conditum sit, reperias, quod illis careat. v. MARCVLFVS in *formulis L. II. c. I. II. III. IV. V. VI.* et alibi passim, LINDENBROGIVS in *formulis cap. LXXII.* Ratio in promtu est. Quo magis enim Clerici sua interesse putabant, non infirmari supremas tabulas et donationes, quibus ecclesiarum opes augebantur: eo studiosius quoque curabant, vt dirissimae quaeuis illis insererentur imprecationes, quae a repetendis bonis, iniuste occupatis, alios deterrerent.

* De imprecationibus, diplomatibus adscriptis, egit MONTFAVCON *L. VI. Palaeograph. Graec.*, vbi de re diplomatica Graecorum disserit. Huc pertinent anathematismi, vt vocantur, decretalium, a quibus vehementer abhorruisse legimus PETRVM DAMIANI, *L. I. ep. 2.* vt propterea ad Alexandrum II. P. R. scriberet: „Duo quaedam apud Apostolicam sedem frequens vsus obtinuit, quae si sancta vestra prudentia iudicat, vt nobis videtur, omnino digna sunt „corrigi. Vnum, quia cunctis fere decretalibus paginis anathema „subiungitur, etc. Quamobrem si sanctae vestrae prudentiae placet, hunc morem de caetero a decretalibus paginis amoueri praecipiat, et vel damni pecuniae, vel alterius cuiuslibet vltionis calculum in earum transgressione praefigat.

§. XXVIIII.

Existimat doctissimus MABILLON *L. II. de re diplomat. c. VIII. §. vlt.*, Germanis imprecationes non adeo familiares fuisse. Sed quamuis mulctae pecuniariae, vti ait, chartis Germanorum saepe adiectae reperiantur; tamen imprecationes quoque in illis identidem occurrere, ex Lege Alamannor. T. I. c. II. charta Thassilonis apud GEWOLDVM in *addit. ad Hundii Metropol.*

tropol. Salisburg. T. I. p. 125. aliisque veteris aeui monimentis luculenter probauit Reuerendiſſ. Praeſul Gottwicenſis in CHRON. *p. 174. ſq.* *

* Quin publici ſaperis mos hic in Germania olim fuiſſe videtur. Nam et eruditi, qui ferebantur, homines, et librarii diris ſolebant deuouere, et quaſi ſacros eſſe iubere eos, qui ſcripta ſua mutare, aut abolere, aut in iis aliquid delere auderent; qualia exempla frequentiſſima ſunt in codicibus manu ſcriptis, quorum nonnulla adduxit IOACHIMVS CHRISTIANVS NEMEITZ in *vernünftigen Gedancken über allerhand hiſtoriſche, critiſche und moraliſche Materien, P. I. c. XIV.*

§. XXX.

Mala, quae repraeſentari ſolent illis, qui vim et auctoritatem diplomatum infringere audeant, ſunt vel temporalia, vel ſpiritualia. Ad illa refero mulctas pecuniarias, poenas capitis, et ſimiles. Poenae ſpirituales, vt vocant, ſunt anathemata, excommunicationes, vindicta diuina, ira ſanctorum et aeterni infernalis ignis cruciatus. Mulctae pecuniariae in diplomatibus Germ. admodum frequentes ſunt, et mox cum poenis ſpiritualibus, veluti excommunicatione, iudicii diuini interminatione coniunctae, mox ſine illis reperiuntur.

§. XXXI.

Non mirandum eſt, his terroribus maxime in diplomatibus Reges et Imperatores Germ. vſos eſſe ſuperſtitioſo aeuo, quo nihil magis valebat ad coërcendos frena mordentes, quam horrendum anathematis fulmen. Quis enim, qui religionis aliquem ſenſum habuit, auſus eſſet, violare diploma? ſi quidem ſciret, anathema dictum eſſe omnibus diplomatum temeratoribus, eosque eiusdem ſortis fore, ac Iudam proditorem, Koram, Dathanem, Abiramum, aliosque, in quos triſte

exemplum diuina Nemesis statuit. Sed hoc quoque inuentum est Clericorum, quorum studio dirarum eiusmodi exsecrationum vsus primum in chartis priuatis, et potissimum donationum, ecclesiis factarum, instrumentis inualuit, qui postea in diplomata quoque migrauit. Quum tantam vim in animis hominum haberet excommunicationis fulmen: facili negotio vnusquisque intelligit, cur ad eius poenam olim sese obligauerint Germani, de quo diximus in specimine iuris Germanici *de obligatione sub poena banni ecclesiastici et imperialis.*

§. XXXII.

Instar omnium vnam alteramue imprecationis formulam hic subiiciemus, et de mulcta pecuniaria haec esto: *Si quis autem aliquam supra taxato sancto ac venerando loco violentiam, subtractionem, vel inuasionem intulerit in rebus mobilibus et immobilibus vel familiis vtriusque sexus tamquam imperialis praecepti temerarius violator, ducentas libras auri obrizi eidem ecclesiae vel ipsius rectoribus componere cogatur.* vid. diploma Ottonis I. quod episcopo Volaterensi super priuilegiis eiusdem ecclesiae concessit apud IVSTVM FONTANINVM in *Adpend. ad Vindic. diplomat. contra Germonium p. 159. sq.* Exsecrationis autem formulam hanc habe: *quod si quis arte aliqua siue dolo siue violentia quaeque bona praenominatae ecclesiae minuere praesumserit, anathema sit, et a regno Dei et consortio sanctae ecclesiae nunc et semper segregatus, et sit portio eius cum satana et angelis eius vsque in aeternum.* vid. diploma fundationis monasterii Poledani apud MADERVM in *Antiquitat. Brunsuicens. p. 107.* Diploma fundationis Walckenredensis Abbatiae apud LEVCKFELD, *antiquitt. Walckenred. P. I. c. IIII. p. 33.* atrocissimas complectitur

plectitur imprecationes, ad quas qui non horreat, et penitus obstupescat, Marpesia caute durior sit oportet. Horrendam etiam ex hoc genere formulam exhibet KOPPIVS diss. *de testam. Germ. p. 139.* Rationem, cur imprecationes donationibus, aliisque contractibus adderentur, satis probabilem reddit *Vir clariss.* GNÜGE diss. *de origine iur. retract. gentilit. in Germ.* conf. GOTTL. HENR. PIPPING diss. Lips. *de imprecat. libris adscriptis.*

CAPVT IIII.

DE CLAVSVLA DIPLOMATVM, QVA SVBSCRIPTIO ET SVBSIGNATIO COMMEMORATVR, ET IPSA REGIS SVBSCRIPTIONE.

§. XXXIII.

EXTREMA contextus diplomatici pars continet clausulam, qua subscriptio et subsignatio exprimitur. Haec non alio fine subiicitur diplomati, quam vt fraudis suspicio eo magis ab illo amoueatur, maiorque fides atque auctoritas ipsi concilietur. Patet hoc ex formula solemni: *et vt haec verius credantur ac inconuulsa permaneant.* Sed paullo clarius illud docet RATPERTVS de *casibus monasterii S. Galli c. VIII.* apud GOLDASTVM *T. I. Rer. Aleman.* vbi de Ludouico Pio ait: „iussit idem „Rex suae auctoritatis praeceptum vtrique parti ad con„firmationem istius pacti statim in praesentia conscribi, „et vt cautius haec eadem firmitatis scriptura commu„niretur, praecepit primitus tantummodo dictatam, et „in aliqua scheda conscriptam sibi praesentari, et cum „ille causam comprobaret, tunc demum Cancellario „praecepit in legitimis chartis conscribere pacti confir„matio-

„mationem, et cum perſcriptae fuiſſent, propriae ma-„nus auctoritate confirmans, vnam epiſcopo cum ſuis, „aliamque abbati monachisque contradidit.„ Hinc clauſula haec a diplomatibus, quae genuina ſunt, numquam abeſſe ſolet.

§. XXXIIII.

Variae autem et diuerſae ſunt formulae, quibus ſubſcriptio et ſubſignatio exprimitur. De Merouingicis et Carolingicis copioſe agit MABILLON *L. II. de re diplomat. cap. X.* De Germanicis obſeruandum, tria requiri ad ſubſcriptionem, I. ſcripturam, II. ſubſcriptionem manus regiae, III. ſigilli impreſſionem. Quae requiſita vera eſſe colligimus ex ipſa formula, quam hanc in rem Reges in diplomatibus adhibere ſolent: *hanc chartam conſcribi iuſſimus, quam manu propria ſubtus roborantes ſigilli noſtri impreſſione ſecimus communiri.* Sigilli vocabulum iam adhibuit Conradus in diplomate apud HEDAM in *hiſtoria Epiſc. Vltraiectenſ. p. 72.* et ſequentes Reges Germaniae promiſcue modo annuli, modo ſigilli adpellatione vtuntur. Itaque non Ottonis I. demum temporibus ſigilli mentio in clauſula ſubſcriptionis fieri coepit, quod viſum eſt MABILLONIO *L. II. de re diplomat. c. X. §. 6.*

§. XXXV.

Sequitur iam ipſa Regis ſubſcriptio, quae variis formulis pro temporum varietate eſt expreſſa. DE LVDEWIG *ad Aur. B. P. I. p. 199. n. h. et p. 195. n. g.* Francorum Reges primae ſtirpis propria manu nomen ſuum ſubſcribebant, addito ſigno variis figuris diſtincto, aut crucis formam praeferente. Plerique adiiciebant: *ſubſcripſi*, quod vel totidem litteris, vel tribus prioribus, vel ſola littera S cum ſigno continuato expreſſerunt. Deſerue-

seruerunt hunc subscribendi morem Carolingi, quorum formula haec erat: *Signum Caroli gloriosissimi Regis*, a qua non multum diuersa est Pipini, Caroli M. patris, qui crucis signum inter signum, et nomen suum interponebat, hoc modo *Signum* ✠ *Pippini gloriosissimi Regis.* Solum autem crucis signum manu Regis expressum erat, cetera Cancellarius, seu Notarius adscribebat. MABILLON *L. II. de re diplomat. c. X. §. VII.*

§. XXXVI.

Quae subscribendi ratio Carolingis solemnis fuit, ea Germanicis quoque Regibus et Imperatoribus placuit, et vsque ad Rudolphum Habspurgicum vsu seruata est. HERTIVS *de fide diplomat. Sect. I. §. XIII.* Constans enim et perpetua subscriptionis formula est: *Signum Domini Chuonradi serenissimi Regis: Signum Domini Ottonis inuictissimi Regis: Signum Domini Henrici III. Regis inuictissimi.* Praeter signi vocabulum occurrunt etiam tituli Regis, quos iam in Carolingorum subscriptionibus obseruamus.

§. XXXVII.

Signum melioris notae scriptoribus sigillum notare, nemo est tam parum in veterum scriptis versatus, qui ignoret. Sic CICERO in *Orat. pro Quinctio c. VI.: tabulae maximae signis hominum nobilium consignantur*, vbi signum manifesto denotat sigillum. Eodem sensu SENECA *L. III. de beneficiis c. XIII.: nec pacta*, inquit, *conuentaque impressis signis custodirentur.* Sed medio aeuo signum a sigillo distinguitur, et modo pro nomine subscripto, modo pro cruce, nominis loco adscripta, vt plurimum autem pro monogrammate nominis accipitur. Ex quo signum crucis, quo olim chartae et diplomata

ſignabantur, in monogramma tranſiit; poſteriores retinuerunt vocabulum *ſigni*, quo crux alias denotabatur. DV CANGE in *Gloſſario* vocibus *crux* et *ſignum*. Nihil ergo aliud vox iſta hic quidem ſignificare videtur, quam ſubſcriptionem manus propriae Regis, cuius ſignum eſt monogramma.

† Maximilianum I. ſua manu diplomata ſubſcripſiſſe negat DE GVDENVS, adfirmat KOEHLERVS. Nos illa plerumque ſubſignata fuiſſe ſtatuimus, hac ſcilicet cum formula: *per Regem, ad mandatum illius*. Sed ipſe etiam Imperator illis nonnumquam ſubſcripſit, ſi imperiale ſigillum ad manus non eſſet. v. *Celeb.* KOEHLERI *epiſtola de hac quaeſtione*. Goettingae 1748. edita.

§. XXXVIII.

Ex his, quae diximus, facile colligi poteſt regula: *in ſubſcriptione regia ſemper adhibitum eſſe vocabulum ſigni, et deinde ipſum regis nomen expreſſum.* Addenda huic eſt altera: *ſubſcriptionem regiam pro diuerſa et Regis et Imperatoris dignitate diuerſam eſſe.*

CAPVT V.

DE ARCHICANCELLARIIS ET CANCELLARIIS EORVMQVE SVBSCRIPTIONIBVS DIPLOMATVM.

§. XXXVIIII.

PROXIME regiae ſubſcriptioni in diplomatibus ſubiecta eſt ſubſcriptio Archicancellarii, ſeu Archicapellani et Cancellarii, de quorum officio iam paullo adcuratius agendum. Cancellarii aeque ac Capellani dicebantur illi, *qui deſcribendis Regis chartis et praeceptis vacabant*. Apud Romanos Cancellarii munus non adeo magnae dignitatis fuiſſe, vel ex eo patet, quod nihil foedius

foedius visum est FLAVIO VOPISCO in *Vita Carini cap. I.*, quam Praefectum vrbi, qui principem eius aetate locum tenebat, ex cancellariis ab hoc Imp. creatum esse. Sed postea magis exsplendescere coepit officii huius dignitas. Etenim CASSIODORVS, saeculi quinti scriptor *L. XI. Varior. cap. VI.* de cancellario ita loquitur: *per te praesentandus agnoscat, per te nostris auribus desiderium supplicis innotescat: iussa nostra sine venalitatis studio expedias, vt nostram possis commendare iustitiam.*

Conf. WACHTERI *comment. de Cancellariis veterum, in opusc. a Trotzio edit. p. 442.* KOCHII *prolus. de origine Archicancellariorum, Giessae edit.* H. HVGO *de prima scribendi origine, ex edit. Trotzii, p. 481.*

§. XXXX.

Apud Francos Cancellarii notariorum munere fungebantur, nimirum scribebant diplomata, eaque in scriniis regiis reponebant. Testatur hoc Monachus Engolismensis in Vita Caroli M. ad an. DCCLXIX. *quod praeceptum*, inquit, *Bartholomaeus Cancellarius eius scripsit, et ipse Dominus Rex sua manu firmauit.* Lotharius I. Imp. legem tulit, *vt Cancellarii electi, boni et veraces chartas publicas conscriberent ante Comitem et Scabinos et vicarios eius.* conf. CORPVS IVR. GERM. ex edit. V. C. PETR. GEORGISCH *p. 12. 18. Leg. XII.* Erant itaque tum Cancellarii scribae seu secretarii Principis, qui chartis tam publicis quam priuatis conscribendis adhibebantur. Quin ideo ipsi identidem Notarios se vocant in diplomatibus, quod compluribus exemplis compertum habeo. Sic Caroli M. diploma recognouit *Witherius Notarius ad vicem Chrotardi*, MABILLON *L. VI. de re diplomat. p. 502.* Diplomati Ludouici Pii de an. DCCCXXXII. apud SCHATEN *Annal. Paderbornens. L. II. p. 91.* subscri-

psit *Hirmimarius Notarius ad vicem Theogonis.* Nec desunt diplomata Regum German., in quibus Cancellarii loco Notarii nomen habetur. Exempla plena manu collegit Ill. IO. WILHELM. DE GOEBEL in Diss. de *Capellanis Imp. et Cancellariis p. 23. sq.*

§. XXXXI.

Cancellarii dicti sunt non a *cancellando*, quod ius illis esset inspiciendi libellos, et iniquis lituras inducendi, quae est sententia BVDAEI, TVRNEBI in *Aduersariis L. XI. c. 25.* et plerorumque aliorum, sed a *cancellis*, propterea, quod intra eos se continerent, vt populus, cui aures dabant, ab ingressu prohiberetur. v. IAC. GOTHOFREDVS ad *L. III. C. Th. de Assessor.* Tantum vero abest, vt infimae sortis hominibus aditus ad munus cancellarii patuerit, vt non alii, quam illustres et summo loco nati viri illi admouerentur. Breuis vt sim, vnicum saltim exemplum eius rei probandae caussa adfero ex EDMVNDI MARTENE et VRSINI DVRANDI *Thesaur. anecdotor. T. I. col. 1844. socium sibi asciuerunt Carolum ex illustri vicecomitum familia natum, qui scriba erat siue cancellarius apud dominos consilii secreti ipsius.* Quemadmodum vero Reges Francorum plures habuerunt cancellarios, teste IO. IAC. CHIFFLETIO in *Anastasi Childerici cap. IX.*: ita quoque diplomata a pluribus notariis siue cancellariis subscripta reperiuntur. Dn. DE GOEBEL in Diss. *de notariis cap. I. §. 14.*

§. XXXXII.

Meroueidarum aeuo Cancellarii plerumque vocabantur *Referendarii*, quorum inter Palatinos primaria erat dignitas. Custodiebant illi annulos regios, itemque regiis diplomatis subscribebant. Vita S. Boniti, Episcopi

Episcopi Claromont. cap. I. *sumto annulo aureo de manu Regis (Sigeberti) Referendarii locum adeptus est.* FLODOARDVS *L. II. Histor. Remens. cap. II. Requisitus,* inquit, *Otto, qui tunc Referendarius fuerat, cuius ibi subscriptio tenebatur, adfuit, negat se subscripsisse.* add. SIGEBERTVS ad annum DCXXXVII. In Referendariorum locum, Carolingis imperantibus, cancellarii successerunt, qui eorum diplomata recognouerunt.

* „Nusquam adparet, ex quo principis ministrorum aulicorum „munus Referendarii fuisse, indicari possit. Contrarium inde colligo, quod et plures fuerint simul Referendarii, et Reginae suos „etiam habuerint Referendarios. Verius igitur videtur, Referendarii munus in regno Francorum tum fuisse fiscale. Id quod etiam „Aimonius L. IIII. c. XLI. docet. Referendarius ideo est dictus, „quod ad eum vniuersae publicae deferrentur conscriptiones, ipseque eas annulo Regis, siue ab eo sigillo sibi commisso muniret seu „firmaret. SCHILTER *de libert. eccles. Germ. L. II. c. VII.* §. 6.

§. XXXXIII.

Capellani dicuntur a *capa* seu *capella*, vel vestis specie, qua voce postea S. Martini vestis κατ' ἐξοχὴν denominata est; vel, vt alii volunt, a cista, in qua eiusdem S. Martini reliquiae adseruabantur. Haec siue vestis, breuis quidem ac hispida, humeros tegens, siue cista * in palatio regio vna cum ceteris sanctorum reliquiis a Francis summa religione in vsum sacramentorum custodita est. DV CANGE in *Glossario h. v.* et ANTON. MATTHAEVS ad *Annal. Egmondan. p. 169.* et in *Analect. veter. aeu. T. I. p. 55.* Inde factum, vt loca, in quibus sacra ista capella vna cum aliis sanctorum reliquiis adseruabatur, *sacrae capellae* vulgo vocarentur. Initio itaque capellani dicebantur, qui ista sanctorum λείψανα custodiebant, et in regum capellis ministrabant. Ab

hac reliquiarum custodia simpliciter *custodes* seu *custodes palatii* vocati sunt. HINCMARVS de *ordine palatii c. XVI.* Exinde quoque constabit, cur viri dignitate illustres, Episcopi et Abbates ad capellani munus euecti sint; quod docet Charta Caroli Calui apud NIC. CAMVSAT *dans ses melanges historiques p. 84.*

* EVODIVS de *miraculis S. Stephani L. I.: capella argentea, in qua erat reliquiarum portio.* BIGNONIVS in notis ad Marculph. *T. II.* ap. BALVZIVM *p. 925.* refellit *Cangium*, ostenditque, capellam S. Martini non denotare vestem eius, sed cistam, in qua eiusdem reliquiae adseruatae essent. BVRI in der Erlaeuterung des Lehnrechts p. 246.

§. XXXXIIII.

Quum vero apud Francos diplomata aliaque regni monimenta in capellis regiis reconderentur, quod ex Concilio Francofordiensi de an. DCCXCIV. cap. III. discimus, forte, quod magis in tuto ibi fore crederentur, vt ipsa quoque Cancellaria ideo *Capella* dicta sit, vti ostendit DV FRESNE in *Glossar. h. v.*: vnusquisque, me non monente, intelligit, capellanos *fuisse scribas, secretarios et amanuenses regios*, vti diximus §. XL. Hinc non mirandum est, eos, qui sacro ordini adscripti erant, cancellariorum munia in se traxisse, quippe quae vel eo nomine iure sibi deberi credebant, quod reliquiarum curam haberent, et capellis praeessent, in quibus chartae et tabulae publicae adseruabantur. Accedit, quod hi eo tempore fere soli essent, qui litteris operam darent, et latinae linguae, qua scripta erant diplomata, periti essent, vt adeo aliis, qui litterarum tam rudes erant, quam qui trans Taurum incolunt, cancellarii munus, si maxime vellent, demandare non possent Reges et Imperatores. CLAVD. FLEVRY *Histor. Ecclesiast. Tom. XIX. in disc. praelim. §. 10.*

§. XXXXV.

§. XXXXV.

Inter Cancellarios qui familiam ducebat, dicebatur *Notarius summus*, aliquando absolute notarius et cancellarius, item summus cancellarius, archicancellarius. HINCMARVS de *ordine Palatii c. XVI. summus cancellarius, qui a secretis olim appellabatur, erantque illi subiecti prudentes et intelligentes ac fideles viri, qui praecepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, et secreta illis fideliter custodirent.*

§. XXXXVI.

Archicapellanus, qui et *Apocrisiarius* vocatur, teste HINCMARO l. c. cap. XX. omnem rem sacram, quae ad ius Regis pertinebat, curabat, omnemque Palatii clerum regebat. Hinc originem si spectes, diuersus ab eo erat archicancellarius, quippe qui proprie cancellariis et secretariis tantum praefectus erat. conf. IO. IAC. MASCOVII, viri illustris, cultissima dissertatio de *origin. officior. aulicor. S. R. I. §. IV. V.*

* De Apocrisiariis eleganter disserit STRAVCHIVS in *Amoenit. iur. Canon. VI. c. 7.*

§. XXXXVII.

Successu vero temporis archicapellani nomen Carolingis adhuc imperantibus * cum archicancellarii nomine est confusum, vt nihil discriminis inter haec officia, olim diuersa, quod perperam negat LEHMANN in *Chron. Spirensi L. II. c. 7.* interesse amplius videretur. Id quod eo minus insolitum videri potest, quod iam sub antiquissimis Francorum Regibus haec officia subinde coniuncta fuisse obseruamus. Dado enim Regis Francorum, Dagoberti, Referendarius, Fredegario aliisque cancellarius dictus, archicapellanus adpellatur apud

LABBE

LABBE in *Miscell. Histor. Tom. II. p. 45.* Hitherius, qui Caroli M. diplomatis vt cancellarius subscripsit, capellanus eiusdem Regis dicitur Anastasio in *Hadriano c. I.* Apud Germanos sane vnum idemque officium semper fuit, ideoque promiscuis vocabulis designatum. BERNH. A MALLINKROT de *archicancellariis p. 227. et 235.* in Collectis Wenckeri. Non longe repetenda est huius rei ratio, siquidem capellanos cancellariorum munia obiisse iam supra animaduertimus. **

* MABILLON *L. II. c. I. p. 218.* vox archicapellani pro archicancellario inusitata ante saec. X. Nam Carolini Reges cancellariae praefecere scribas et cancellarios, quos voluere, iure precario, DE LVDEWIG *singul. iur. publici p. 105.*

** „Nemo illis temporibus pacis artibus praeter Episcopos opе„ram dabat. Itaque hos audiebant Reges, vt, si quid esset, quod re„ligionem posset iniicere, eius monerentur; optime id animaduer„tente *Hugone Grotio L. II. de I. B. et P. c. 23. n. 4.* vid. GVNDLING *de Henrico Aucupe p. 220.* c)

§. XXXXVIII.

Mutata itaque rei notione, et sublata officiorum differentia archicancellarii iuxta atque archicapellani recte nobis dici videntur, qui ceteris aulae vel Palatii cancellariis et secretariis praeerant, quorumque officium erat, recensere diplomata iisque subscribere. Hinc tam in diplomatibus, quam in chronicis Germanicis modo archicancellarii, modo archicapellani adpellantur, qui Regum diplomatibus subscripserunt. Diplomati Ludouici Infantis de an. DCCCCIX. apud BROWERVM *Annal. Treuirens. L. IX. p. 445.* subiecta est subscriptio: *ad vicem Piligrini, Archicancellarii Salomon Cancellarius*, et in diplomate Conradi I. de an. DCCCCXIV. haec habetur: *Salomon Cancellarius ad vicem Piligrini Archicapellani recognoui.* In Chronico Episcoporum Mindensium plurima

rima congesta sunt priuilegia, ei ecclesiae ab Imperatoribus concessa, et a cancellariis vice archicancellariorum subscripta, qui alibi archicapellani vocantur. PHILIP. EBERH. ZECH in Schediasm. *de orig. indole, fatis et iuribus Primat. Germ. Cap. III. §. VII.* Henrici III. diploma de an. MXLIII. apud SCHANNAT *Tradition. Fuldens. p. 250.* recognouit Adelgerius Cancellarius vice Bardonis Archicancellarii, qui in eiusdem Imp. diplomate de an. MLVI. dicitur archicapellanus. SCHATEN *Monum. Paderbornens. L. VI. p. 529.*

§. XXXXVIIII.

Quamquam vero in diplomatibus Regum Germ. bina haec vocabula promiscue sint adhibita, nisi quod Conradinis diplomatibus numquam subscripserit archicancellarius, sed semper archicapellanus teste *Chronico Gottwic. L. II. p. 131.*: tamen ab Henrici III. Imp. tempore rarius occurrit posterius vocabulum, et archicancellarii nomen magis placere coepit. *Chronicon Gottwic. L. II. p. 274.* Dn. DE GOEBEL de *capellanis imp. p. 11. sq.* Obseruat vir doctissimus LVDOVICVS THOMASSIN de *veter. et nou. eccles. discipl. P. III. c. XXV. §. 17.* laudatum Imperatorem Henricum III. quamdiu Regis et nondum Imperatoris nomine vsus est, diplomata recognoscenda curasse a cancellario vices gerente archicapellani, postea vero archicancellarium, non archicapellanum subscripsisse. Neque vero tum plane vocabulum archicapellani vsurpari desitum est, siquidem eius in diplomatibus Henrici IIII. identidem adhuc mentio fieri solet apud SCHATEN in *Annal. Paderbornens. L. VI. p. 553. ad an. 1059.* add. PFEFFINGER *Vitriar. illustrato Tom. I. p. 1086.* Quin in diplomate Lotharii Saxonis de an. MCXXIX.

 apud

apud OBRECHTVM in *Prodromo Rerum Alſaticar. p. 299.* vox archicapellani in ſubſcriptione occurrit. At poſt haec tempora altum de archicapellano ſilentium, et non niſi archicancellarios diplomata recognouiſſe conſtat. Exarſerat paullo ante contentio inter imperium et ſacerdotium, et inſolentia Pontificum, oppreſſa maieſtate imperatoria, iam eo progreſſa erat, vt extortis iuribus ſacrorum nihil fere ſupereſſet Regibus in ſacris, quod eorum auctoritate, vt antea, ageretur. vid. IO. SCHILTER *de libertate eccleſiar. Germ.* L. IIII. c. 1. et 2. Quum vero iura ſacrorum olim archicapellani nomine Regum adminiſtrarent, et ex eo tempore nihil amplius de ſtatu rei ſacrae, ordine et perſonis eccleſiaſticis ad Imperatorem, ſed ad Pontificem omnia referrentur: nemo non facile animaduertit, cur omiſſo archicapellani titulo, ſolum archicancellarii nomen adhibuerint archiepiſcopi Moguntini.

§. L.

In imperio Germanico ſplendido archicancellarii titulo vtuntur tres praecipue ſacrorum Praeſules, Moguntinus, Colonienſis, et Treuirenſis, quos omnes olim Regum Germaniae diplomatibus ſubſcripſiſſe nouimus. Origines huius rei paullo altius repetere, operae pretium erit.

§. LI.

Inter complures capellas regales, quas in Palatiis ſuis habebant Reges Francorum, illae prae ceteris eminebant, quae in metropoli quadam erant. Et quum tres in Francia Orientali ſiue Germania eſſent Metropoles; veriſimile eſt, quemque harum Metropoleων archicapellanum honores cencellarii, qui cum archicapellani dignitate tum coniungebatur, ſibi vindicaſſe.

In

In Germania prima Moguntia erat Metropolis, adeoque Moguntinus archicapellanus et cancellarius. Colonia Germaniae ſecundae metropolis erat, cuius antiſtes eo nomine non immerito ſibi archicancellarii nomen vindicabat. vid. PETRVS DE MARCA *Diſſ. de primatibus §. LXXV.* Sic quoque Treuirenſi Archiepiſcopo, vtpote Germaniae Belgicae ſeu Lotharingiae Metropolitano, archicancellariatus dignitas iure quaeſita videbatur. conf. ZECH de *orig. indole et fatis Primat. Germ. cap. II. §. III. et IV.*

§. LII.

Sub Carolingis et ſequentibus Germaniae Regibus archicapellani non eccleſiae alicuius priuilegio, ſed Regum et Imperatorum iudicio conſtituebantur. *Auctor Quinquertii Cameralis qu. V. §. 266.* Ill. IO. IAC. MASCOV, in diſſertatione laudata *§. VII.* Nonnumquam etiam plures eodem tempore archicancellarii, nondum diuiſis muneris finibus, fuerunt, quod de Ottonis M. aetate oſtendit laudatiſſimus MASCOV *l. c. §. X.*; quamuis in diuerſa hic abeat Reuerendiſſimus Praeſul Gottwicenſis in *Chronico L. II. p. 182.*, qui vnum tantum archicancellarii munus obiiſſe contendit, pluresque ſibi inuicem in munere ſucceſſiſſe, et non ſine magno eruditionis adparatu cauſſas exponit, cur varii Ottonis I. diplomatis ſubſcripſerint.

§. LIII.

Interiecto deinde tempore quilibet trium archiepiſcoporum peculiarem, et ſedi ſuae ſacrae proprium cancellariatum obtinuit, Moguntinus per Germaniam, Colonienſis per Italiam, et Treuirenſis per Galliam, et regnum Arelatenſe. Tempus vero, quo certis finibus

adſtricti eſſe coeperint hi archicancellarii, certo definire, difficile eſt, et de eo pluribus diſputare ſolent iuris publici doctores, licet mire inter ſe diſſentiant. conf. MASCOV *l. c. §. XII.* IO. GEORG. ESTOR de *Miniſterial. Cap. I. §. 28. ſq.* IO. FRID. PFEFFINGER *Vitriar. illuſtrat. Tom. I. p. 1079. ſq.* Dn. DE LVDEWIG *ad Auream Bullam T. XXVI. §. 2. p. 586.*

§. LIIII.

In tantis ſententiarum diuortiis non poſſum, quin eorum accedam ſententiae, qui archicancellarii dignitatem Moguntinae ſedi, Ottone M. imperante, ab anno DCCCCLXVIII. perpetuo iure quaeſitam eſſe exiſtimant. Nam ex quo Wilhelmus, Ottonis M. filius, Moguntinam eccleſiam rexit, haud interrupta ſerie Moguntinos Praeſules archicancellarii officio praefuiſſe conſtat, * quum antea alii quoque, praeter Moguntinum, Regum et Imperatorum diplomatibus ſubſcripſerint. Dedit hoc ſine dubio Imperator amori filii, vt fixam veluti ſedem et ſtabile domicilium archicancellariatus officium in Moguntina ſede haberet, praeſertim quum iam inde ab antiquiſſimis temporibus illa Metropolis in Germania primatum tenuiſſet. Ill. MASCOV in Diſſ. *de Primatibus, Metropolitanis eccleſ. Germ. §. XX.* Ipſa ſane imperii conſuetudine Moguntinis ſupremum hoc aulae imperialis officium poſtea relictum eſt, licet lex expreſſa, qua illis dignitas haec ſit adſcripta, nondum proferri potuerit. PHIL. EBERH. ZECH in *Schediaſm. citato cap. III. §. IV.*

* Sigefridus III. Aepiſcopus Moguntinus, in diplomate primus Archicancellarii titulo vſus eſt, vti obſeruat Dn. DE GVDENVS in *cod. diplomat. p. 550. et in indice.*

§. LV.

§. LV.

Etsi vero post Ottonis tempora nonnumquam et Coloniensis et Treuirensis archicancellarii munere functi sunt in Germaniae imperio: tantum tamen ea exempla valere non debent, vt quemquam de certa et vera sententia dimoueant. Nam si quando Coloniensis Praesul pro Moguntino Regum et Imperatorum diplomatis subscripsit, aut eius vice alius illa recognouit: factum hoc est absente, aut impedito Moguntino, aut propterea, quod inimicitiae inter eum et Imperatorem intercedebant. Exemplo esse potest diploma Henrici V. Imp. de an. MCXIV. apud Dn. DE LVDEWIG *T. II. Reliquiar. p. 183.*, cui subscripsit Arnoldus vice Brunonis (Treuirensis archiepiscopi) archicancellarii. Paullo ante nimirum anno MCXII. idem ille Arnoldus diplomati, quo Henricus V. Wormatiae priuilegium ratione teloniorum concesserat, vice Alberti Moguntini praesulis et archicancellarii recognouit apud laudatum LVDEWIGIVM *l. c. p. 181.* Sed quis est historiarum tam insigniter rudis, vt Henricum V. graues cum Alberto archiepiscopo Moguntino inimicitias exercuisse, et Brunonem Treuirensem plurimum apud eum gratia valuisse ignoret. add. GEORG. FRANC. HELMERSHAVSEN Diss. de *archicancellariis S. R. I.* Erfordiae anno CIƆIƆCCXL. habita.

§. LVI.

Ex quo vero stabile et perpetuum in Moguntina sede esse coepit archicancellariatus officium; supremi eius Praesules non in Germania solum, sed etiam in Italia aliisque regni Germanici partibus splendidum hocce munus gesserunt, cuius rei fidem faciunt complura diplomata apud VGHELLVM in *Italia sacra,* eo tamen

 discri-

discrimine, vt in Germania reliquos Praesules excluderent, in Italia non item. Nam post Ottonis M. tempora Coloniensem et plures alios praeter Moguntinos archicancellarii munus in Italia administrasse accepimus. AVCTOR *Quinquertii Cameral. qu. V. §. 33.* Vereor autem, vt propterea, quod Colonienses archiepiscopos Ottonis M. tempore et paullo post archicancellarios in Italia fuisse in comperto sit, incunabula archicancellariatus Coloniensis per regnum Italiae in illa ipsa aetate reperiri queant, vti visum est V. C. IO. FRIDERICO IOACHIM in *Commentat. de archicancellariatu archiepiscopi Coloniensis per regnum Italiae §. V. VI.* Neque enim diuisis cum Moguntino finibus tum Coloniensis, neque perpetuo muneri illi praefuit, neque Italiae archicancellarium speciatim se dixit, ad quod maxime hic videtur respiciendum. Quum vero a tempore Henrici III. Imp. diplomata Imperatorum in Italia confecta solos Colonienses, Piligrinum, Hermannum, Annonem archicancellarios memorent, et Leo IX. Pontifex Rom. an. MXLVIIII. Hermannum perpetuum ecclesiae Romanae archicancellarium creauerit, teste WICBERTO in *vita Leonis IX. L. II. c. V. p. 71.*: non dubitandum est, quin hac aetate Italiae archicancellarii dignitas Coloniensi ecclesiae cesserit, et Imperatores exemplum Pontificis sequuti sint. Accedit, quod non multo post, tempore nimirum Lotharii Saxonis veluti expeditum visum sit, Coloniensem archiepiscopum Italiae esse archicancellarium. Etenim Chronographus Saxo ad annum MCXXXII. apud LEIBNITIVM in *Accession. histori. Tomo I. p. 289. et quia*, inquit, *archiepiscopus Coloniensis defuit, qui iure debet esse cancellarius in his partibus, Norbertus archiepiscopus Magdeburgicus huic officio deputatus est.* Hinc

Hinc ſub Friderico I. primum titulo Italiae archicancellarii vſus eſt Arnoldus in diplomate de anno MCLV. apud CHAPEAVVILLIVM *Tomo II. rer. Leodienſ.* Tum quoque Moguntinus Praeſul, qui antea ſimpliciter ſe archicancellarium dixerat, Germaniae vel S. R. I. per Germaniam archicancellarium in ſubſcriptionibus diplomatum ſe vocare coepit. Exemplum forte antiquiſſimum eſt apud GEWOLDVM ad HVNDII *Metropol. Salisburg. Tom. I. p. 377.*

§. LVII.

Paullo ſerius archicancellariatum ſibi vindicarunt archiepiſcopi Treuirenſes, ſiquidem ante interregnum incerta et tantum non obſcura eius eſt memoria. Sane ſaeculo XI. penes Treuirenſes archicancellarii per Galliam munus nondum fuiſſe oportet, quia Henrici II. Conradi II. Henrici III. et Henrici IV. diplomata de rebus ad dioeceſin Treuirenſem ſpectantibus condita, Moguntini nomine recognita ſunt. vid. GLAFEY in *Hiſtor. imp. p. 175. ſq.* Et Arelatenſis regni archicancellariatum Fridericus II. Imp. in Viennenſem archiepiſcopum transtulit an. MCLVII. Itaque ſaeculo demum decimo tertio archicancellarii dignitas Treuirenſi obtigiſſe videtur; vid. SCHVRTZFLEISCHII Diſſ. *an Carolus IV. abalienauerit imperium;* licet in diplomatibus eius mentio non fiat, quia Boemundo II. hoc ipſo aeuo, tam Galliae, quam Arelatenſis regni archicancellarii titulus a coaeuis ſcriptoribus tribuitur, teſte BROWERO *Annal. Treuirenſ. P II. L. XVI. c. 152. et c. 157.* Et ex eo tempore continuatus et ab Imperatoribus confirmatus eſt, vtpote Ludouico Bauaro an. MCCCXXXII. et a Carolo IV. tam in Aurea Bulla, quam in Comitiis Moguntinis an. MCCCXLVIII. habitis. BROWERVS *l. c. L. XVII. c. 79.*

§. LVIII.

§. LVIII.

Iam addo, nihil habere HERMANNVM CONRINGIVM, quo tueri possit suam sententiam, si archicapellanos nusquam archiepiscopos dictos esse, aliis persuadere nititur in *Censura diplomatis Lindauiens. p. 189.* Nam vti MABILLON *L. II. de re diplomatica c. XI. §. XIII.* iam iure dubitauit, recte hic sensisse virum egregium; ita quoque multo magis compluribus exemplis contrarium probari potest. Sub diplomate Zwentiboldi apud HVNDIVM in *Metropol. Salisburg. p. 93.* haec habetur subscriptio: *Waltgerus Notarius ad vicem Ratbodi archiepiscopi summique cancellarii recognouit.* Et in diplomatis Ottonianis nihil frequentius obserues, quam archiepiscopi nomen in subscriptionibus archicancellariis tribui. Subscriptio diplomatis ab Ottone M. dati an. DCCCCLXVIIII. apud HVNDIVM *l. c. Tomo II. p. 251.* ita se habet: *Luitgerus Cancellarius ad vicem Hattonis archiepiscopi et capellani subscripsi.* Saepe quoque solum archiepiscopi vocabulum ponitur, omisso archicancellarii titulo, vti in diplomate Ottonis III. de an. DCCCCVCXII., cui haec subiecta sunt: *Hildiboldus episcopus et cancellarius vice Willegisi archiepiscopi.* CHAPEAVVILLE *Tom. I. Histor. Leodiens. p. 210.*

§. LVIIII.

Archicancellariorum officium fuisse, recensere diplomata, iisque subscribere, iam supra nos obseruare meminimus. Quamquam vero ipsi archicancellarii interdum diplomata recognouerint, vti exemplis quibusdam compertum est; * tamen rarissima illa sunt, et vix quatuor aut quinque a primaeua eorumdem institutione vsque ad Carolum V. reperies. MALLINKROT de *archicancellariis in collect. archiu. iuribus p. 453.* Vtplurimum

mum enim et fere semper cancellarii diplomatibus subscripserunt. Hinc formula in diplomatibus solemnis: *Notarius ad vicem archicapellani; Cancellarius ad vicem archicancellarii*, cuius rei origo iam paucis explicanda.

* Sic Caroli IV. Imp. Bullam auream de iure et successione Electoratus Saxoniae, anno MCCCLXXVI. editam, recognouit Ludouicus Moguntinae ecclesiae Archiepiscopus, S. R. I. per Germaniam archicancellarius. Sub Maximiliano I. ipse Berchtoldus archiepiscopus Moguntinus litteris inuestiturae Wurtembergicae an. MCCCCXCVI. datis propria manu vt archicancellarius subscripsit. IAC. WENCKERVS in *notis ad Mallinkrot de archicancellar. p. 453.*

§. LX.

Nimirum archicancellarii, si in aula imperatoria non praesentes, aut aliis negotiis districti essent, vices suas delegare solebant aliis, qui loco illorum rebus expediendis praeessent, et subscribendi officio fungerentur. Vsitatum hoc iam fuit circa confinia saeculi VII. et VIII., vt diplomata Childeberti et Caroli M. apud MABILLON *L. VI. de re diplomatica p. 480. sq.* hoc satis superque ostendunt, et ex praestantissimis antiquitatum monimentis eruditissime demonstrauit IO. PETRVS DE LVDEWIG in *commentario ad Auream Bullam Tit. XXVI. §. 2. p. 578. sq.* Quum ita olim mos ferret, vt summi sacrorum antistites in curandis sacris vicaria opera vterentur; hoc quoque sibi sumserunt in expediendis imperii negotiis, et vicarios constituerunt archicancellarii dignitate archiepiscopi praediti. Eo ipso quoque tempore, quo Vicecancellarii orti sunt, frequentius archicancellarii nomen ad distinctionem a *vicario cancellario* in diplomatibus vsurpatum est, teste LVDEWIGIO l. c., quum antea cancellarii nomen loco archicancellarii positum sit.

§. LXI.

Ex his luculenter conſtare puto, ſatis antiquos eſſe vicecancellarios, quos pro antiquo rerum ſtatu haud inepte dixeris *vicarios archicancellariorum, qui horum partes in ſubſcribendis aut recognoſcendis diplomatis tuebantur.* Nomen *vicecancellarii* recentius eſt, et a Sigismundi Imp. tempore primum auditum. Ill. IVSTVS HENNING BOEHMER in Diſſ. de *epiſcopo vice-cancellario Imp. Cap. I. §. XXVI.* Olim qui vices archicancellariorum obibat, dicebatur ſimpliciter *cancellarius*, vti in diplomatibus apud CAROLVM MEICHELBECK in *hiſtoria Friſingenſi Tom. I. p. 148. 158. 164. 172.* NIC. SCHATEN *hiſtoria Paderbornenſi P. I. p. 307. 318. 322.* aut *notarius*, vti in diplomate Conradi I. de an. DCCCCXII. apud SCHANNAT *Tradition. Fuldenſ. p. 226.* conf. §. XXXVIIII.

§. LXII.

At tempore Sigismundi formula *ad vicem archicancellarii*, tam longo vſu probata, deſiit, et in ſubſcriptionibus diplomatum vicecancellarii nomen, nulla amplius archicancellarii facta mentione, tantum vſurpari coepit. Ipſa denique vicecancellarii ſubſcriptio non multo poſt omiſſa videtur, ſiquidem in diplomatibus Friderici III. haec formula reperitur: *ad mandatum proprium Domini Imperatoris*, nulla vice-cancellarii facta mentione. WENCKER in *notis ad Mallinkrot p. 420.* Vnde ſine dubio falſus eſt HERTIVS de *fide diplomatum Sect. I. §. XIV.*, qui exiſtimat, iam poſt Friderici II. exceſſum veterum ſubſcribendi ritum in deſuetudinem abiiſſe, nec vlla diplomata Caeſarea ab archicancellariis, aut ad eorum vicem ſubſcripta et recognita reperiri. Video tamen hanc ſententiam probari Ill. MASCOVIO in Diſſ. *de officiis aulicis S. R. I. §. VI.*

§. LXIII.

§. LXIII.

Neque vero nulla varietas in posteriori formula obseruatur. Etenim sub diplomate Friderici III. de an. MCCCCLXXXVI. haec reperitur: *ad mandatum Imperatoris in Concilio*, LÜNIG *Reichs-Archiv*, *Parte general. Tom. I. p. 127.* et sub alio: *ad mandatum Domini Imperatoris proprium.* IDEM *l. c. p. 136.* In calce diplomatis Maximiliani I. de an. MCCCCXCII. legitur: *ad mandatum domini Regis in Concilio.* Aliud eiusdem diploma de an. MCCCCXCVI. sequentem habet subscriptionem: *ad mandatum Domini Regis proprium.* LÜNIG *l. c. p. 141. et 172.* Postea placuit primum Imperatoris, deinde Vice-cancellarii nomen ponere, et tandem ad S. Caes. Maiestatis mandatum proprium, subscribentis Referendarii vel cancellarii nomen subiicere. IDEM *loc. cit. p. 500.*

§. LXIIII.

Post interregnum, quum raro iam vicecancellarii diplomata subscriberent, magis in vsum reuocatus est mos, qui iam antiquissimis Francorum Regibus placuit, vt *testes diplomatibus subscriberent.* Exstat Chlodouei iunioris diploma, quo monasterii Sancti Dionysii libertatem confirmat, anno DCLIII. datum, et inter specimina diplomatum ex autographo papyri aegyptiacae prolatum a MABILLONIO *L. V. de re diplomat. tabula XVII. et L. VI. n. VII.* quod complurium testium subscriptionibus munitum est. Erant vero episcopi et proceres regni, a quibus regia diplomata apud Francos solebant subsignari. In quo tamen haec occurrit varietas, vt sub prima stirpe ipsi Reges manu sua, sub secunda vero cancellarii testium nomina diplomatibus adscriberent, auctore MABILLONIO *l. c. L. II. c. XXI. §. 5.*

§. LXV.

At Germaniae Reges et Imperatores nullum testium subscriptionibus locum in suis diplomatibus dederunt, vsque ad saeculum XI., siquidem neque in Conradi I. neque in Saxonicorum Imperatorum diplomatis tales inueniuntur. BENIAMIN LEVBER de *Stapula Saxon. n.1547. et n.1569.* Equidem NIC. SCHATEN *Annal. Paderbornens. ad annum* MXXVIII. profert diploma Conradi II. Imp. Abbatiae Corbeiensi, de praedio Godeleuesheim datum, quod Hunfridum, aliosque plures testes praefert; sed a moribus Conradi hoc alienum, et inter exempla singularia numerandum esse, iam vidit AVCTOR *Chron. Gottwicensis L. II. p. 261.* Potius ad Sueuicos Imperatores huius moris origo in Germania referenda est, ex quibus testes in diplomatibus adhibuit Henricus IV. Imp. formula vsus: *interuentu &c.* vel *testibus praesentibus N. N.* vel *recognoscebant ex Principibus &c.* quae occurrit in diplomate Hammaburgensi ecclesiae concesso apud LINDENBROGIVM *Script. rer. German. p. 145.*

§. LXVI.

Nulli vero magis in moribus hoc positum fuit, quam Henrico V. Imp. cuius pauca admodum diplomata reperias, quae testium subscriptionibus carent. Quin ipse semper in diplomate meminit testium, his verbis: *hi sunt autem testes, qui viderunt et audierunt*, vel formula: *huic concessioni praesentes affuerunt*, qua vtitur in diplomate de an. MCXXIII. apud GEORG. CHRISTIAN. IOANNIS *Spicileg. I. tabular. veter. p. 444.* Sed in modo adscribendi nomina testium saepe variauit. Mox enim in ipso diplomatis contextu illa habentur, vti in binis diplomatibus Abbatiae S. Maximini de an.

MCXII.

MCXII. et anno MCXVI. apud ZYLLESIVM *P. III. p. 48. 51.* et in diplomate Goslariensi apud HEINECCIVM in *Antiquit. Goslariens. p. 116.* mox subscriptionis clausulae subiiciuntur, vti in diplomate de an. MCXIIII. apud V. C. SIMON. FRIDER. HAHNIVM in *Collect. monument. veter. p. 74.* Eumdem morem tenuit Lotharius Saxo, qui vero inter testes primo loco nominat Clericos, deinde Laicos, et denique Ministeriales. vid. diploma MCXXIX. apud MADERVM *Antiquitat. Brunsuicens. p. 229.*

§. LXVII.

Iam non immerito quaeritur, quae Imperatores et Reges ratio impulerit, vt a testibus quoque sua diplomata subsignari vellent. * IOANNES TILIVS de *rebus Galliae p. 273.* recordatus memoriam Pontificum Romanorum, quorum diplomata a certo Cardinalium, qui praecipuo loco habebantur, numero, subsignari debebant, Imperatores, qui in Italia identidem commorabantur, Romanos Praesules hac in re imitatos esse suspicatur, et morem testes adscribendi diplomatis in Germaniam induxisse. At mihi aliud sedet. Exploratum est, Imperatores olim in Germania sine consensu Procerum imperii, nihil alienare potuisse, quod compluribus exemplis, si necesse esset, comprobari posset. ** Hinc Fridericus I. concessionem Henrici III. Imp. infirmauit, et irritam declarauit, quod *sine conscientia et consensu Principum imperii facta esset*, vt ait in diplomate de anno MCLXXII. apud FRIDERICVM A SANDE *Consuetud. Geldriae Tr. II. tit. I. cap. V. n. 5.* Quum vero sub Sueuicis Imperatoribus Procerum potestas creuerit, vti ostendit vir illustris IO. ADAMVS KOPP in praeclaro *historiae iuris opere p. 298.*, et ordines imperii fere

V 3 ab

ab eo tempore diplomatibus vt testes subscripserint: non aliunde mihi ratio haec repetenda videtur, quam ab ipsis Imperatoribus, qui nihil inconsultis Principibus agere voluerunt.

* A dignitate testium maior fides instrumentis quaesita est, teste DESID. HERALDO, *de rerum iudic. auct. L. I. c. 5.* Hinc illae formulae: *nobilesque viros, qui suas subscriptiones dignanter adnectant, pari supplicatione poposci.* Item: *rogatorum a me nobilissimorum testium subscriptione firmaui.* v. CONRADI *Parerg. p. 471.*

** Praeclare hoc patet ex iis, quae de alienatione et commutatione principatus cuiusdam Imp. scripta sunt in diplomate de anno cIↃccxvi. Abbatissae inferioris monasterii Ratisbonae concesso, apud HVNDIVM *T. II. Metropolit. Salisburg. p. 192.*, vbi binae Abbatissae in illa vrbe constitutae proposuerunt firmiter, nullum principatum nec posse nec debere commutari vel alienari ab imperio, vel ad alium principem transferri sine voluntate Principis illius principatus, et de pleno consensu eiusdem Ministerialium.

† Singularis et maxime memoratu digna est formula, qua Reges Angliae in diplomatis saepe vsos esse, MABILLONIVS testatur, *de re diplomat.* L. II. c. 21. §. 7. *teste me ipso.* Qua quidem formula Eduardus VI., Rex Angliae adhuc vsus est, quod docet charta eius ex autographo descripta apud HERTIVM Vol. II. T. III. p. 232.

§. LXVIII.

At quam ob caussam diplomatum recognitio tam necessaria visa est Regibus et Imperatoribus? Nemo vero non facile intelligit, factum id esse, vt fraudes euitarentur, et de integritate tabularum eo magis constaret; ne quid plus, quam Reges vellent, concederetur, aut interpolarentur diplomata, aut plane spuria supponerentur. Acu rem, vt solet, hic tetigit Ill. IO. GEORG. ESTOR in reconditae doctrinae opere *de Ministerialibus Cap. I. §. XXXI.* Eo itaque fine a cancellario prius recognoscendum erat diploma, num illud adcurate perscriptum esset, et ad regis mentem recte se haberet.

Hinc

Hinc quoque perſpicue *Lege Longobardorum L. III. T. XLI.* cautum eſt, ne cancellariorum ſubſcriptio in chartis omitteretur. Verba legis haec ſunt: *de cancellariis, qui veraces electi ſunt ad homines infirmos veniant, et ſecundum legem inſtrumenta chartarum ſcribant, et a teſtibus roborentur; et ſtatim oſtendatur ante epiſcopum et comitem et iudicem vel vicarios, aut in plebe, vt veraces eſſe cognoſcantur.* Quamquam vero haec ad priuatas tantum chartas pertinent; nemo tamen dubitauerit, non minorem cautionem Reges et Imperatores in publicis chartis adhibuiſſe. Luculentiſſimum eius rei exemplum memoriae prodidit RATPERTVS de *Caſibus Monaſter. S. Galli c. VIII.* quod eius verbis potius, quam meis commemorare lubet. „Contigit, inquit, Ludouicum piiſſimum „Regem publice placitum ſuum habere in villa, quae „dicitur Vlma, praeſentibus filiis ſuis aliisque regni ſui „Principibus. Ad quod placitum conuentionis cauſſa „perlata eſt, et coepit exinde Rex ſolerter et caute cum „ſuis cogitare atque pertractare. Rex ambarum par„tium cum conſpiceret vnitatem, ſeſe huic pacto inter„poſuit medium, atque in ſemet omne negotium aſſu„mens cum manu ſua poteſtateque res ad epiſcopatum „contradidit. Haec confirmatio cum per regiam au„ctoritatem circa vtramque partem fuiſſet ſtabilita, et „rebus ita a clementi Rege cum omni concenſu com„poſitis, iuſſit idem Rex ſuae auctoritatis praeceptum „vtrique parti ad perpetuam confirmationem iſtius pa„cti ſtatim in praeſenti conſcribi, et vt cautius haec ea„dem firmitatis ſcriptura communiretur, praecepit pri„mitus tantummodo dictatum, et in aliqua ſcheda con„ſcriptum ſibi praeſentari, et cum ille cauſſam compro„baret, tunc demum cancellario praecepit in legitimis „chartis

„chartis conſcribere pacti confirmationem, et cum per-„ſcriptae fuiſſent, propriae manus auctoritate confir-„mans, vnam Epiſcopo cum ſuis aliamque Abbati mo-„nachisque contradidit, perpetuae firmitatis ſine aliqua „euerſione ita retinendas indicio.

§. LXVIIII.

Quandoquidem non parum intereſt, nomina ſe-riemque archicancellariorum non ignorare: ſcias, pri-mum Palatii Francici archicapellanorum recenſum de-diſſe CAROLVM DV FRESNE, in *Gloſſario mediae et in-fimae latinitatis, voce Capella;* deinde cancellariorum Franciae catalogum FRANCISCVM LANOVIVM in *Syntagm. hiſtorico de Sanctis Franciae Cancellariis* et IO. MABILLON *L. II. de re diplomat. cap. XII.* texuiſſe. No-mina autem et ſeriem Germaniae archicancellariorum exhibent BERNARDVS A MALLINKROT, Decanus Monaſterienſis, in opere de *Archicancellariis S. Romani Imperii Parte priori*, et IO. FRIDERICVS PFEFFIN-GER *ad Vitriarium Tom. I. p. 1077.* Priores, quos re-cenſemus, ſcriptores iunctim cum aliis huc pertinenti-bus libellis edidit IACOBVS WENCKERVS, in libro ſ. t. *Collecta archiui* et *cancellariae iura*, qui prodiit Ar-gentorati an. cIↃIↃCCXIV. Nomina cancellariorum ſeu vicecancellariorum qui noſſe cupit, eum ablega-mus ad laudatum MALLINKROTIVM de *Archicancel-lariis et cancellariis Part. II.*, qui a Caroli M. aetate eorum catalogum cum cura contexuit. Egregie eum perpoliuit Illuſtr. IVSTVS HENNING BOEHMER in diſſertatione de *epiſcopo Vice-Cancellario Imp.* quae pro-diit Halae anno cIↃIↃCCXXXX.

§. LXX.

§. LXX.

Non exiguam forte gratiam a lectoribus meis me initurum spero, si, quod maximam vtilitatem habet, carptim strictimque percenseam, archicancellarios et vicecancellarios, qui Regum et Imperatorum nostrorum diplomata recognouerunt. Itaque non committam, vt aut frustra quis hic illorum notitiam quaerat, aut hac in parte quidquam libello desit. Quum vero ante Caroli M. tempora obscura sit vicecancellariorum memoria, quippe quos saeculo septimo demum ortos esse supra obseruauimus: a Carolo M. iam exordium capere iuuabit.

§. LXXI.

Quemadmodum *Itherius* seu *Hitherius* postrema Pipini, itaquoque prima Caroli M. diplomata subsignauit tamquam *cancellarius summus;* cuius ad vicem *Rado* recognouit. MABILLON *de re diplomat. L. II. cap. XII. §. 4. 5.* Itherio in Cancellarii munere successerunt annis DCCLXXIII. et DCCLXXV. *Lubertus*, qui archicancellarius vocatur, in diplomate de anno DCCLXXIII. apud MVNSTERVM in *Cosmographia L. V. c. CCXXXII.* deinde *Amalbertus*, *Theudegarius*, et *Lutherius*. MALLINKROT *l. c. apud Wencker. p. 226.* Sed et alii cancellarii munere regnante Carolo functi sunt, veluti *Rado*, MABILLON l. c. *L. VI. n. 53. 58.* SCHANNAT in *Vindic. archiu. Fuldens. diplomat. Tab. IV. Hildibaldus*, qui anno DCCLXXXVIII. archicapellani officio praefuit; *Ercambaldus*, VGHELLVS *Ital. sacr. Tom. IV. p. 200.* BROWERVS in *Annal. Treuirens. L. VII. p. 381.* et denique *Hieremias.* VGHELLVS l. c. *Tom. I. p. 112.* MABILLON l. c. *L. VI. p. 513.*

§. LXXII.

Vicariam in recognitionibus diplomatum operam tempore Caroli M. subierunt *Rado*, *Hildebaldus*, *Ercambaldus*, *Amalbertus*; qui postea archicancellarii dignitatem adepti sunt, vt diximus, *Wigbaldus*, *Gilbertus*, *Optatus*, *Widolaicus*, *Ginesius*, *Eldebertus*, *Suauis*, *Ibbo* et *Witherius*. vid. SCHANNAT l. c. p. 52.

§. LXXIII.

Inter cancellarios LVDOVICI PII, primo loco nominandus est *Helizachar*, Abbas Centulensis, cuius ad vicem diplomata recognouit *Durandus*. GOLDASTVS *Tom. II. Constitut. Imp. p. 9.* Helizachari successit *Fridugisus*, Sithuensis Abbas, cuius nomine praeter Durandum iam laudatum *Hirminmaris* seu *Hirminmarus*, SCHATEN *Annal. Paderbornens. p. 91. 92.* *Adalulfus* et *Sigibertus* subsignarunt. Hunc primum excepit *Theodo*, qui et *Theogo* vocatur, deinde *Hugo*, cuius in munere socius fuit *Drogo*, ambo vero a Carolo M. ex concubina geniti SCHATEN l. c. Parem cum his dignitatem eodem tempore habuerunt *Hilduinus*, WENCKER in *notis ad Mallinkrot. p. 236.* et *Vmbertus*. Notarii, qui vice illorum diplomatis subscripserunt praeter Hirminmarum, *Meginarius*, *Glorius*, *Mercharius*, *Hrodmundus* fuerunt.

§. LXXIIII.

Regnante Lothario cancellarii munere functi sunt I. *Hermenredus*, ad cuius vicem Druggemirus diploma an. DCCCXXXIV. recognouit, apud VGHELLVM *Ital. Sacra Tom. I. p. 413.*, quo subscribendi officio itidem functi sunt Balsamus et Protomus. II. *Agilmarus*, cuius nomine ab an. DCCCXXXX. Eichardus, Remigius, Firmandus et Veardus diplomata subsignarunt. Vnde

Hildui-

Hilduinus non primo tempore, quod visum est MALLINKROTIO, sed extremis imperii annis sub hoc Imperatore cancellarii muneri praefuit, quia ante annum DCCCXLIV. in diplomatum subscriptionibus nullam eius mentionem faciunt notarii. Vicariam vero operam in recognoscendis diplomatibus Hilduino cancellario subierunt Hrotmundus, Daniel, Remigius et Ercambaldus.

§. LXXV.

Plures cancellarios habuit Ludouicus, Rex Germaniae, conf. HEINECCII *Histor. Ludou. Germ. p. 745.* I. Gozwaldum, ad cuius vicem recognouit Adalleodus, diaconus II. Grimaldum, et III. Radleicum, qui sibi inuicem successerunt, et communes habuerunt Notarios praeter Adalleodum, Dominicum, et Hadelbertum seu Hadebertum, qui et Hugbertus vocatur. His accensendus est IV. Luitbertus, ad cuius vicem Hebarhardus recognouit diploma anno DCCCLXXIII. apud SCHATEN *Annal. Paderbornens. p. 179.*

§. LXXVI.

Luitbertus, paullo ante laudatus, qui sedi Moguntinae ab an. DCCCLXIII. vsque ad an. DCCCLXXXIX. praefuit, teste SERARIO *Rerum Mogunt. L. IV. pag. 655.* sub Ludouico III. quoque archicapellani munus gessit, recognoscente eius nomine vel Wolfherio, cuius nomen subiectum est diplomati de anno DCCCLXXVIII. apud V. C. SCHANNAT in *Vindic. archiu. Fuldens. Tab. VI.* vel Arnolfo, qui diplomati de an. DCCCLXXX. apud laudatum SCHANNAT in *Corpor. tradition. Fuldens. num. DXX. p. 210.* subscripsit.

§. LXXVII.

Carolus Caluus, quamdiu in Gallia tantum regnauit, archicancellariis vsus est Ludouico et Heriueo, quorum

quorum nomine diplomatis subscripsit Gauzlenus, quod testantur diplomata apud MABILLON *de re diplomat. L. VI. n. 94.* et MIRAEVM in *Notit. ecclef. cap. XXXVII.* Sed fortuna, qua vsus est Carolus Caluus, dum ad imperii fastigium peruenit, Gauzleno quoque profuit, siquidem tunc archicancellarii muneri praefectus est. Sic MABILLON *loc. cit. L. V. tab. 31.* diploma Caroli Imp. profert, quod *Audacher Notarius ad vicem Gauzlini recognouit et subscripsit.*

§. LXXVIII.

Magna auctoritate sub Carolo Crasso valuit *Liutwardus*, qui archicancellarii munus administrauit vsque ad annum DCCCLXXXVII. quo Imperatori de adulterio cum Augusta suspectus exulare iussus est. Male eius nomen habitum est a notariis. Modo enim *Ludwardus* audit, modo *Liutoardus* vocatur, modo *Luiutuardus* scribitur. Memoria eius superest in diplomate Corbeiensi Monasterio concesso anno DCCCLXXXII. apud SCHATEN *Annal. Paderbornens. Tom. I. p. 190.* et in diplomatibus de anno DCCCLXXXIII. apud VGHELLVM *Ital. Sacra Tom. IV. pag. 416. seq.* Caesarea praecepta ad eius vicem recognouit *Waldo* ab anno DCCCLXXXI. vsque ad mensem Iunium anni DCCCLXXXIII. quo ipsi in munere suffectus est Segoinus. Praeter illos subscribendi officio functi quoque sunt Inquirinus, et Amalbertus. In archicancellarii officio Liutwardo successor datus est Ansbertus, ad cuius vicem Amalbertus Notarius diploma Caroli pro Coenobio S. Martini, quod Turonis est, recognouisse dicitur die XVI. Kalend. Iulii anno DCCCLXXXVII. vid. SCHANNAT *Vindic. archiu. Fuldens. pag. 78.*

§. LXXVIIII.

§. LXXVIIII.

Arnolpho non vnus modo Theodmarus archicancellarius fuit, quod sibi persuasit MALLINKROTIVS, sed Aspertus, qui antea inter cancellarios versatus est, et Bardo. Prioris mentio fit identidem in diplomatibus apud VGHELLVM l. c. *Tom. IV. p. 422. Tom. III. p. 614.* Asbertus archicancellarius vocatur in diplomate de anno DCCCXCII. apud SCHATEN *Annal. Paderbornens. Tom. I. p. 203.* Ex notariis, quos non paucos habuerunt, praecipue ad recognoscenda diplomata adhibitus est Engilpero. Reliqui passim indicantur, vtpote Ernustus, Quirichengris et Wichingus.

§. LXXX.

Sub Ludouico Infante archicancellarii munus gesserunt, et diplomata ex Regis voluntate mox Ratbodus, archiepiscopus Treuirensis, per Theodulfum aut Albricum, mox Theotmarus, archiepiscopus Salisburgensis per Ernustum aut Engilperonem promiscue recognoscenda curarunt. SCHANNAT l. c. *p. 83.* Non multo ante Ludouici obitum anno DCCCCIX. ad vicem Piligrini archicapellani Salomon Cancellarius diploma subsignauit. HVNDIVS *Metropol. Salisburg. Tom. I. p. 350.*

§. LXXXI.

Exstincta regnatrice Carolingorum stirpe, rerum in Germania potitus est Conradus I., sub quo susceptum iam Ludouico regnante archicapellani munus porro administrauit Piligrinus, archiepiscopus Salisburgensis. Nec alius cancellari munere functus est, quam qui antea vice Piligrini diplomata recognouit, nempe Salomon, episcopus Constantiensis. Addunt huic Wadefridum, de quo vero omnia incerta sunt. Semel di-

plomati de anno DCCCXII. apud GEWOLDVM *de Septemuirat. p. 91.* subscripsit, quod absente vel impedito Salomone factum esse credibile est, quia hic sequentibus annis semper diplomata recognouit.

§. LXXXII.

Progredimur ad Henricum Aucupem, qui archicancellarium vsque ad annum DCCCCXXVII. habuit *Herigerum*, vti patet ex diplomate Heruordiensi apud Auctorem *Monument. Paderbornens. p. 208.* Herigero dicto anno e vita excedenti suffectus est *Hildebertus*, qui munere suo functus vsque ad obitum Henrici I. KETTNER *Antiquitat. Quedlinburgens. p. 4.* Vterque Moguntinam ecclesiam rexit, et ad subscribenda diplomata vicarium adhibuit *Simonem.* Sed extremis regni Henriciani annis diplomata recognouit *Poppo.* Ita diploma de an. DCCCCXXXI. apud MEICHELBECK *Chron. Frising. p. 164.* hanc subscriptionem habet: *Poppo Cancellarius ad vicem Hildeberti archicapellani recognoui.* Occupata ab Henrico Lotharingia, Ruotgerus, archiepiscopus Treuirensis, in hoc regno archicancellarii muneri praefuit, ideoque eius nomine diplomata in Lotharingia, aut in negotiis eius regni concessa recognita leguntur apud MIRAEVM *Codice Donat. Belgicar. cap. I.*

§. LXXXIII.

Inter archicancellarios Ottonis M. primum locum tenet Hildebertus, continuato sub hoc Imperatore officio, quod sub Henrico I. iam susceperat. Diploma de anno DCCCCXXXVII. apud MADERVM *Antiquitat. Brunsuicens. p. 107.* ita subnotatum est: *Adelboldus cancellarius ad vicem Hildeberti archicapellani recognoui.* Sequitur Fridericus, cuius memoriam seruant diplomata apud

apud LEVBERVM de *Stapula Saxon. n. 1181. et 1182.*, apud LEVCKFELD in *addit. ad Antiquit. Halberstad. pag. 641.* SAGITTARIVM in *Antiquitat. episcopat. Magdeburg. p. 15.* Eodem superstite, sed ob perfidiam exilio mulctato, per vices archicancellarii munus obierunt Ruodpertus, Treuirensis archiepiscopus, Heroldus et Bruno, qui anno DCCCCLXI. apud MEIBOMIVM *T. I. Script. rer. German. p. 744.* et MEICHELBECKIVM *T. I. Chron. Frising. p. 175.* diplomatibus subscripsit. Mortuo Brunone solus archicancellarii munus gessit Wilhelmus vsque ad annum DCCCCLXVIII., cuius rei fidem faciunt diplomata apud LEVBERVM *l. c. n. 1192. et 1607.* Quemadmodum vero post Willhelmi obitum proprium quasi ac perpetuum sedi Moguntinae fuisse splendidissimum hoc officium supra iam obseruauimus; ita quoque in locum Wilhelmi successit primo Hatto et deinde *Rupertus*, vterque Praesul Moguntinus. SAGITTARIVS *Antiquitat. episcopat. Magdeburg. p. 71.* Diplomata, in quibus illi archicancellarii memorantur, vide apud GEWOLDVM in *addit. ad Hundii Metropol. Salisburg. Tom. II. pag. 237.* LVNIGIVM *Tom. III. spicileg. eccles. p. 356.* LEVCKFELD *Antiquit. Poeldens. p. 207.*

§. LXXXIIII.

Apud Hildebertum cancellariorum locum obtinuerunt Adeboldus siue Adaldagus et Poppo, quibus promiscue quoque vsus est Fridericus. Nomine Brunonis recognouerunt diplomata Osbertus et *Luitolphus*, qui Wilhelmi quoque vices obiit. Ipse Bruno autem, priusquam archicancellarii munus suscepit; diplomata de an. IↃCCCCXXXXI. ad vicem Friderici recognouit. SAGITTARIVS *l. c. p. 19. et 22.* Post vero cancellarii

larii munere ordine functi sunt Rudpertus, qui *ad vicem vacationis archicapellani* diploma anno DCCCCLXVIII. quo rebus humanis ereptus est Wilhelmus, recognouit apud MEIBOMIVM *Tom. I. Script. rer. Germanic. p. 752.* Luidgerius siue Ludigerus, Rutgerus, Rigerius, et denique *Willigisus* aut Williisus, qui anno DCCCCLXXII. et insequenti diplomatibus subscripsit, LEVCKFELD l. c. SAGITTARIVS l. c.

§. LXXXV.

Qui Ottonis M. archicancellarius fuit Ruodbertus, eodem vsus est Otto II. quum solus imperii fasces teneret vsque ad annum DCCCCLXXV. SCHATEN *Annal. Paderbornens. Tom. I. p. 317.* Suffectus illi in munere est Willigisus, quem vicarium in recognoscendis diplomatis antea habuit. Nomine eius diplomata subsignarunt Hildeboldus, qui cum Willigiso vsque ad Ottonis III. tempora vitam produxit, apud SCHATEN *l. c. p. 321. et sq.* Folcmarus, cuius memoria superest in diplomate apud HEDAM *Histor. Vltraiect. p. 87. et sq.* Egbertus, et Folginatus, qui binis diplomatibus de an. DCCCCLXXV. subscripsisse legitur apud HARTMANNVM *Annal. Einsidlens. p. 85. et 86.* Adiungit his MALLINKROTIVS *l. c. p. 303.* Hugonem quemdam; sed quum neque vola, neque vestigium eius in diplomatibus adpareat, satius est eum in tenebris iacere, quam incerta fide cancellariis adscribi. Nullum quoque locum hic damus Burchardo de Mangenfeld, quem Ius Saxonicum primum notis siue glossis illustrasse constat. Qui enim hic cancellarius Ottonis II. esse potuit, quum Ius Saxonicum saeculo XIII. demum compilatum esse, in vulgus notum sit?

§. LXXXVI.

§. LXXXVI.

Quemadmodum Willigisus, Praesul Moguntinus, cum Hildebaldo suo Ottonis III. tempora attigit, vti diximus; ita quoque archicancellarii munus nemo praeter illum sub hoc Imperatore administrauit vsque ad obitum Ottonis III. quod omnium diplomatum fide et auctoritate comprobatur. * Vnde in mendo cubat subscriptio diplomatis, quo monasterium Hadmersleuen Episcopatui Halberstadiensi subiicit Otto apud LÜNIGIVM *Tom. II. Spicileg. eccles. p. 18.* quae ita se habet: *Hildebaldus episcopus et cancellarius vice Willichardi Episcopi Regis Ottonis.* Vix enim opus est moneri, sponte enim liquet, loco *Willichardi* reponendum hic esse *Willigisum.* Nec seiunctus ab eo est Hildeboldus, sed constanter illi adhaesit antehac iam cancellarius; quippe anno DCCCCXCVIII. diploma adhuc ad Willigisi vicem recognouit singulari clausula notabile apud HARTMANNVM *l. c. p. 110.* Plura diplomata ab eo recognita notata sunt in CHRON. GOTTVIC. *L. II. p. 220.* Qui Hildeboldo in munere socium Bernwardum tribuunt, videant, an satius sit Lamberti Schafnaburgensis, quam diplomatum, in quibus nulla eius sit mentio, fidem sequi. Ill. IVSTVS HENNING BOEHMER de *episcopo Vice-Cancellario Imper. Cap. III. §. XXXI.* Sub finem imperii Ottonis III. vices cancellarii obiit Heribertus, archiepiscopus Coloniensis, siquidem ab an. DCCCCXCVIII. diplomata recognouit, HVNDIVS *Metropol. Salisburg. Tom. I. p. 364.* Distinguendum ab eo monet doctissimus SCHANNAT in *Vindic. archiu. Fuldens. p. 95.* alterum Heribertum, cuius iussu Rotpertus diploma Ottonis III. subsignauit apud MABILLON *de re diplomat. L. VI. n. 154.* Sed quum eo ipso tempore Hildebaldus loco

Willigisi diplomata subscripserit; nullum sane dubium est, quin aut vitiosa, aut ab alia manu sit istius diplomatis subscriptio, quod satis ostendunt argumenta AVCTORIS *Chronici Gottwic. L. II. p. 221.*

* Quum Otto III. vix triennis Rex salutatus esset, eius et regni tutelam sustinuerunt mater Theophania, et auia Adelheidis, quarum in consortium adsumta est Mathildis, Abbatissa Quedlinburgensis. Magnam quoque in regenda imperii republica partem tenuit prae ceteris proceribus Willigisus, AEpiscopus Moguntinus, de quo Dodechinus in Appendice ad Marianum Scotum ad an. 1160. „Temporibus Ottonis Imp. huius nominis tertii praefuit ecclesiae Moguntinae Willegisus, AEpiscopus memoria dignus, qui ipsum Ottonem adhuc valde puerum et Imperatorem educauit, et interim „per XVI. annos Rom. rexit imperium. „ conf. ZECH in *schediasm. de origine, indole et fatis Primat. German. cap. II. n. 3.* Diplomatibus, quae in isto tutelari regimine promulgabantur, non tutricis sed ipsius Regis praescribebatur nomen, sigillumque regium addebatur; nomina vero matris, et eorum principum, quorum potissimum consilio res acta erat, ipsi diplomati inserebantur, quasi ob horum amorem, votum aut interuentum, petitionemque res decreta esset. Testatur hoc diploma Ottonis III. an. 985., quum quintum aetatis annum ageret, Theodorico, Comiti Hollandiae datum apud MIRAEVM in *codice donat. piar. n. 41. p. 52.* conf. SCHWARZ de *Mathilde Abbatissa Quedlinburgensi, vicaria imperii p. 65. sq.*

§. LXXXVII.

Tres fuere Henrico II. archicancellarii, Willigisus, qui sub Ottonibus floruit, Erckanbaldus siue Erchinbaldus, qui ab anno MXI. diplomatibus subscripsit apud HVNDIVM *l. c. Tom. II. p. 248.* et apud SCHANNAT in *Corpor. Tradition. Fuldens. n. 593.* Postremis Henrici temporibus suprema haec dignitas obtigit Ariboni, cuius memoria superest in diplomate de anno MXXI. apud HVNDIVM *l. c. Tomo I. p. 144.* Vice Willigisi diplomata recognouerunt Egilbertus vel Engelbertus, Bruno apud HEDAM *Histor. Vltraiect. p. 101.* et Eberhardus, cuius

cuius nomen habetur in subscriptione diplomatis de an. MVIII. apud IOANNIS *Annal. Moguntin. Tom. II. p. 517.* Erchinbaldus et Aribo vicaria opera Guntheri siue Guntherii vsi sunt. ZYLLESIVS in *Defens. Abbat. S. Maximini P. III. p. 32.* De Gualtero, qui occurrit in diplomate de anno MXXIII. apud HVBERT. LEODIVM de *origin. Palatinor. p. 176.* et Cunctatio, qui diplomati an. MXVII. apud SCHANNAT *Vindem. litterar. Coll. II. p. 109. n. 2.* subscripsit, silent et annales, et diplomata. Hinc eleganter illa nomina notariorum hallucinationes, et Guntherum sub illis intelligendum esse, docet AVCTOR *Chronici Gottwicens. L. II. p. 241.*

§. LXXXVIII.

Post Henrici II. obitum superstes Aribo archicancellarii munus continuauit sub Conrado II. vsque ad annum MXXX. quo eius nomine diploma recognitum adhuc prodiit, quod exstat apud PISTORIVM *Scriptor. rer. German. p. 741.* Sed eodem anno fatis concessit, siquidem Bardo, qui Ariboni in dignitate et in munere suffectus est, eo anno diplomati subscripsit apud LVNIG *Spicileg. ecclesiast. Part. III. p. 697.* Vnde perperam Aribonis nomen loco Bardonis irrepsit in subscriptionem diplomatis de anno MXXXIII. l. c. *Tom. I. p. 145.* Vice Aribonis functus est Vdalricus, cuius rei fidem faciunt diplomata apud SCHATEN *Annal. Paderborn. Tom. I. p. 463. 467. et 491.* et apud Bardonem cancellarii locum solus Burchardus, non episcopus Wormatiensis, nobilis ille canonum compilator, sed Halberstadiensium antistes, tenuit, cuius rei auctor est chronographus Saxo apud LEIBNITIVM in *Accession. historic. p. 245.*

§. LXXXVIIII.

Nec pauciores archicancellarios habuit Henricus III. quorum prior fuit Bardo, cuius memoriam complura diplomata conferuant. BECKMANN *Hiſtor. Anhaltin. p. 172.* HEINECCIVS *Antiquitat. Goslarienſ. p. 47.* Proximus illi eſt Luitwaldus ſiue Liutpoldus, cuius nomen diplomatibus ab anno MLII. emiſſis ſubnotatum reperitur. HVNDIVS *l. c. Tom. I. p. 150. et 366.* HEINECCIVS *l. c. p. 59.* Sed tanto plures fuerunt, qui cancellarii munere Henrico III. regnante fungerentur, et quod ſingulare et notabile eſt, vno eodemque tempore diuerſi ſaepe diplomata ſubſignarunt. Sic ad vicem Bardonis recognouerunt I. Theodoricus apud BECKMANNVM loc. cit. et PISTORIVM *Script. rer. Germanicar. p. 737.* II. Wintherius ſiue Guntherus apud HEINECCIVM *locis citatis.* III. Eppo, qui cancellarius audit in ſubſcriptione diplomatis de anno MXL. apud MADERVM *Antiquitat. Brunſuic. p. 221.* IIII. Eberhardus, quem demonſtrat diploma apud ZYLLESIVM loc. cit. *Part. III. p. 36.* datum anno MXLIV. V. Adalgerus, quem annis MXLII. et MXLIII. regia iuſſa exſequutum eſſe liquet ex SCHANNATI *Corpor. tradition. Fuldenſ. p. 250.* Denique VI. Hartwicus, cuius ſubſcriptionem diploma Goslarienſi eccleſiae anno MXLVI. conceſſum praefert, apud LEVCKFELD *Antiqu. Poeldenſ. p. 276. ſq.* At Liutpoldus muneris ſui vices ſoli Wintherio demandauit.

§. XC.

Sequitur Henricus IV. cuius ſatis quidem diuturnum, ſed temporum acerbitate grauiter oppreſſum et Pontificum inſolentia miſere adflictum fuit imperium. Ex archicancellariis eius primus occurrit Luitbaldus ſiue

siue Liutpoldus, cuius vice diplomata adhuc anno MLIX. recognita sunt, MIRAEVS *donat. Belgicar. Lib. II. p. 386.* quo in viuis esse desiit, vti auctor est LAMBERTVS SCAFNABVRGENSIS ad hunc annum. In eius locum successit Sigefridus, qui ab anno MLXII. vsque ad annum MLXXIIII. diplomatibus subscripsit. Quamquam vero diu adhuc rebus humanis interfuerit Sigefridus, et an. MLXXXIIII. demum diem obierit supremum; nulla tamen post id tempus eius mentio fit in diplomatum subscriptionibus. In promtu ratio est. Etenim perfide Sigefridus optimum Principem destituerat, et eorum, qui iniuste imperium inuadebant, Rudolphi nimirum et Hermanni partibus se adiunxerat, adeo officii sui oblitus, vt et posterioris archicancellarium egerit in diplomate de anno MLXXXIII. apud SCHATEN *Lib. VI. Annal. Paderborn. P. I. p. 608.* Hinc fieri non poterat, quin officio suo supersederet Sigefridus, et Henricum diplomata ab homine factioso et male de se merito subsignari voluisse, vix credibile est. Sequitur Wetzilo seu Wizilo, item Wenzelinus, qui post Sigifridum archicancellarii muneri praefuit, et diploma de anno MLXXXVI. recognouit apud HEINECCIVM *Antiquit. Goslariens. p. 100.* Vltimus est Ruthardus seu, vt alibi adpellatur, Rotardus, cuius nomen subiectum est diplomatibus de anno MXCIIII. et anno MXCVII. apud SCHANNAT in *Vindem. litterar. Collect. I. p. 176. et 180.*

§. XCI.

Progredimur ad cancellarios, quos breuiter eo ordine, quo sibi inuicem successerunt, recensebimus. Inter eos primum locum tenet Wintherius siue Guntherus, qui iam sub Henrico III. clarus vice Liutboldi re-

cognouit apud HVNDIVM *Metropol. Salisburgens. Tom. I. p. 151.* Huic in munere, quo se abdicauit Wintherius, suffectus est Gebehardus, cuius memoria superest in diplomate de anno MLVIII. apud Dn. DE LVDEWIG *Reliquiar. MStor. Tom. IV. p. 240. sq.* Sequitur Wichbertus, Rauennatensis archiepiscopus, cuius nomen occurrit in subscriptione diplomatis apud HVNDIVM *loc. cit. p. 152.* Proximus illi est Fridericus, HEINECCIVS *l. c. p. 75.* quem excepit Sigehardus, cuius rei fidem faciunt diplomata de anno MLXIIII. et MLXVII. BECMANN. *Histor. Anhaltin. p. 172.* HVNDIVS *loc. cit. p. 368.* Perperam vero cancellariis accensetur Bibo, Tullensis episcopus, auctore LAMBERTO SCHAFNABVRGENSI, ad an. MLXIX. quia nulla addicunt diplomata. Meliore iure hic locum damus Adalberoni, qui diplomati Salisburgensi anno MLXXII. subscripsit apud HVNDIVM *Tom. I. p. 58.* de quo praeclare differit Auctor *Chronici Gottwicens. p. 298.* quia scrupulus hic haeret, quis iste Adalbero fuerit, quum plures eius nominis tum vixerint; Egilberto, archiepiscopo Treuirensi, priscae virtutis, et inuiolatae in Henricum fidei viro, quem numquam improborum consilia auferre potuerunt; GEWOLDVS de *Septemuiratu p. 103.* Adalberto, a quo diplomata recognita exstant apud BECMANNVM *Histor. Anhaltin. Tom. III. p. 153.* HVNDIVM l. c. *Tom. I. p. 153.* Gebehardo, qui diplomati de an. MLXXVII. subscripsit apud HVNDIVM *Tom. II. p. 241.* Hermanno, cuius subscriptio habetur in diplomate, quod produxit HEINECCIVS *Antiquit. Goslariens. p. 100.* Vltimus est Humbertus, qui et Hunibertus dicitur, cuius memoria in diplomatibus de an. MLXXVI. ap. LINDENBROG. *script. rer. Germ. p. 146.* et de an. MCI. ap. ZYLLESIVM *Part. III. p. 47.* reperitur.

§. XCII.

§. XCII.

Regnante Henrico V. archicancellarii muneri praefuerunt Rudhardus, in eodem dignitatis gradu sub Henrico IV. iam constitutus, qui diplomatibus de an. MCVII. et MCVIII. apud HEINECCIVM *Antiquit. Goslariens. p. 109. et 110.* subscripsit, et anno post rebus humanis ereptus est. Successit illi is, qui vices eius obiit, Albertus, Moguntinae sedi regendae anno MCXI. praefectus, quo et diploma recognouit apud HARTMANNVM *Annal. Einsidlens. p. 173.* Praeter Albertum hunc vicario archicancellariorum munere functi sunt Arnoldus, quod testantur bina diplomata apud HVNDIVM *loc. cit. Tom. I. p. 259. et Tom. III. p. 95.* et Bruno, qui idem est cum Brunone, Cancellario Hermanni, aemuli Henrici IV. SCHATEN *Annal. Paderbornens. Lib. VI. Part. I. p. 608.* Subscripsit diplomatibus de anno MCXVI. apud ZYLLESIVM *Part. III. p. 52.* de anno MCXIX. apud HEINECCIVM *loc. cit. p. 116.* et MIRAEVM *Donat. Belgicar. Part. I. cap. 40.*

§. XCIII.

Vnus Lothario fuit archicancellarius, nempe Albertus paullo ante laudatus, qui ab anno MCXXIX. vsque ad annum MCXXXVII. diplomatibus subscripsit. HEINECCIVS *l. c. p. 125.* HARTMANNVS *l. c. p. 193.* Vices Alberti obierunt Thietmarus, cuius talis est subscriptio in diplomate de anno MCXXXI. apud HEINECCIVM *Antiquit. Goslariens. p. 132. Thietmarus notarius Regis vice Adelberti Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognoui;* Anselmus, cuius memoriam ex MIRAEO *Codice donat. c. 87.* restituit MALLINKROTIVS de *cancellar. et vice-cancellar. p. 329.* Henricus, episcopus Ratisponensis, a quo anno MCXXXII. subsignatum exstat diploma

diploma apud LEVCKFELD in *Antiquitat. Walckenriedens. p.356.* Hic postea in Italia Lotharii archicancellarium egit, vti patet ex diplomate Monasterio Cassinensi concesso *Tom. II. Bullar. Cassinensi p.158.* Eckehardus, item Ebkicardus, cuius subscriptio diplomatis Frisingensis in *Chronico Gottwic.* ita se habet: *Ego Ekkehardus vice Adelberti archicancellarii recognoui.* Bertholdus, qui diplomatibus anno MCXXXIIII. apud LEVCKFELD *loc. cit. p.387.* et anno MCXXXVI. apud HARTMANNVM *loc. cit. p. 193.* subscripsit. Reliqui ad Italiae magis, quam ad Germaniae cancellarios videntur referendi, quos recensere non instituimus.

§. XCIIII.

Diuersus ab eo, cuius praecedenti §. meminimus, est Albertus seu Adelbertus, qui sub Conrado III. archicancellarii dignitate eminuit, prioris ex fratre nepos, teste OTTONE FRISINGENSI *Lib. VII. Chronic. cap. 22.* Memoriam sui diplomatibus de anno MCXXXIX. apud Dn. DE LVDEWIG *Tom. IV. de Reliqu. MStor. p. 26.* et an. MCXLI. apud HVNDIVM *loc. c. Tom. II. p.521.* recognitis ad posteritatem propagauit. Post Albertum ab anno MCXLIII. constanter omnia Conradina diplomata Henricus tamquam archicancellarius recognouit. HVNDIVS *l. c. Tom. I. p.158.* HEINECCIVS *l. c. p.147.* Nomine illorum Arnoldus diplomatibus subscripsit, quod loca paullo ante adlata satis ostendunt. De Arberto, Desiderio, et Wicboldo, quos in hunc censum refert MALLINKROTIVS, ex diplomatibus nihil compertum est, quemadmodum de Ottone Frisingensi, grauissimo illo scriptore, amplius deliberandum videtur. Subscriptionem sane eius in diplomatibus frustra quaesiueris.

§. XCV.

§. XCV.

Conrado ex eadem Hohenſtauffiorum familia ſucceſſit Fridericus I. quo nemo maiori animi magnitudine imperii maieſtatem contra Pontificis furorem defendit. Ex eius archicancellariis primum ſibi locum vindicat Henricus, qui diplomatibus anno MCLII. apud HVNDIVM l. c. *Tom. II. p. 29.* et anno ſequenti in *Bullario Caſinenſ. Tom. II. p. 171. et 172.* in quo ipſe Imperator illum *ſupremum ſuum conſiliarium et archicancellarium* vocat, ſubſcripſit. Sed quum is dignitate archiepiſcopali a Pontifice exutus eſſet; ſuffectus illi eſt Arnoldus, cuius ſubſcriptio in diplomatibus de anno MCLVI. apud MIRAEVM *L. II. donat. Belgicar. p. 454.* et de anno MCLVII. apud MADERVM *Antiquitat. Brunſuic. p. 120.* occurrit. Arnoldo miſerabili caede anno MCLX. Moguntiae exſtincto, ad ſupremum honoris faſtigium emerſit Conradus, a quo vnicum modo diploma an. MCLXIII. ſubſignatum exſtat apud HEINECCIVM *l. c. p. 165.* ſed mox ab Imperatore de gradu deiectus eſt, vtpote Romano Praeſuli nimis addictus. Vnde eo ipſo anno in eius locum ſubrogatus Chriſtianus, diplomati tamquam archicancellarius ſubſcripſit apud HVNDIVM *Tom. III. Metropol. p. 410.* et munere ampliſſimo functus eſt vsque ad an. MCLXXXIII. quo in Italia ad plures abiit. Poſt eius obitum Conradus in gratiam cum Friderico rediit, et dignitati ſuae poſtliminio reſtitutus diplomata denuo an. MCLXXXIIII. apud I. P. DE LVDEWIG *Reliquiar. MStor. Tom. IV. p. 172.* et an. MCLXXXVIIII. apud MEICHELBECK *Tom. I. Chron. Friſing. p. 380.* recognouit.

§. XCVI.

Sed dicendum etiam de cancellariis, qui ſub Friderico floruerunt. In his familiam ducit Arnoldus,

cuius memoriam in diplomatibus anno MCLII. apud HVNDIVM l. c. *Tom. II. p. 29.* et anno MCLIII. apud SCHANNAT *Vindem. litterar. Coll. II. p. 113. seq.* reperimus. Nullus vero cancellarius sese offert in diplomatibus vsque ad annum MCLVII., a quo tempore Rainaldus vsque ad annum MCLVIIII. diplomata recognouit, quae recenset MALLINKROTIVS l. c. *p. 336.* Sequitur Vdalricus siue Vlricus, cuius subscriptio occurrit in diplomatibus, quorum notitiam debemus MALLINKROTIO l. c. *p. 337.* Proximus est Christianus, qui postea ad archicancellarii munus euectus est, HEINECCIVS *l. c. p. 165.* Quamquam vero Philippum quoque cancellarium Friderici memorent annales, Chronographus Saxo ad annum MCLXVIII. apud LEIBNITIVM *Accession. historic. p. 309.*: nondum tamen diploma ab eo subsignatum proferri potuit, iudice auctore *Chronici Gottwic. p. 383.* In hunc censum quoque venit Henricus, cuius subscriptio diplomatibus de an. MCLXIII. apud HVNDIVM *Tom. III. p. 410.* et de anno MCLXXI. apud Dn. DE LVDEWIG *Tom. I. Reliqu. MStor. p. 12.* subiecta reperitur. Sed quis ille Henricus fuerit, difficile est statuere in tot ὁμωνύμοις, qui sub Friderico memorantur. Omnium diutissime sacris scriniis praefuit Godefridus, quod complurium diplomatum, quae ab anno MCLXXII. vsque ad annum MCXC. prodierunt, et recensentur in *Chron. Gottwic. p. 384.* fide constat. Denique postremo his adiungendus Ioannes, cuius memoria in diplomate de an. MCLXXXVIII. apud HEINECCIVM *Antiquitat. Goslariens. Lib. II. p. 188.* superest.

§. XCVII.

Defuncto Friderico summa imperii ad Henricum VI. eius filium rediit, cuius vnum modo nouimus archicancel-

cancellarium, Conradum scilicet, qui diplomati de an. MCXC. apud HEINECCIVM l. c. *p. 191.* et LVNIGIVM in *Continuat. Part. I. Spicileg. ecclesiast. p. 339.* subscripsit. Vicarium ille habuit, vti loca citata testantur, Theodoricum seu Dietherum, cuius subscriptio ita se habet: *Ego Theodericus vice Domini Chonradi Moguntinae sedis archiepiscopi et totius Germaniae archicancellarii recognoui.* Idem vero sub Dietheri nomine ipse se cancellarium vocat in diplomate de an. MCXCI. apud MIRAEVM *donat. Belgic. Lib. II. p. 485.* Theoderico in cancellarii munere successit Conradus, episcopus Hildesiensis, cuius memoriam ex diplomate de an. MCXCVI. apud MIRAEVM *Lib. II. diplom. Belgic. cap. LVII.* restituit MALLINKROTIVS. Accenset his Ottonem et Lotharium Auctor *Chronici Gottwic. L. II. p. 399.* quos tamen diplomata recognouisse non constat.

§. XCVIII.

Scissa post obitum Henrici VI. in diuersas partes Germania de summa rerum inter se contendebant Otto IV. et Philippus. Quemadmodum vero vterque se pro Rege gerebat, nec iure suo cedebat; ita quoque eosdem fere archicancellarios et cancellarios habuerunt. Sic Conradus, qui apud Philippum archicancellarii munere functus est, vti ex diplomate de an. MCXCIX. apud HVNDIVM *Tom. I. p. 79.* adparet, diplomati Ottonis IV. an. MCXCVIII. Werdinensi monasterio concesso subscripsit, quod exstat in *Chronico Gottwic. Lib. II. p. 402.* Erat hic mos Conradi, vt dubium mediumque se partibus praestaret, quo instituto vtriusque odium vitauit, et locum suum retinuit. Quod quum non faceret Sigfridus, Conradi in sede Moguntina successor, et Ottonis rebus aperte studeret: dignitate sua a Philippo priuatus est, licet eo

 occiso

occiso ab Ottone eidem restitutus. Sed quum paullo post Otto quoque a Pontificis ambitione alienus esset, hoc est, iura imperii tuenda susciperet: statim se a Sigfrido oppugnari sensit, proditore et communis salutis desertore, ab eoque bruto banni fulmine iussu Pontificis percussus est. Hinc facile intelligitur, cur diplomata Ottonis non Moguntini, sed Treuirensis archiepiscopi, Theoderici vice, maximam partem recognita legantur apud MEIBOMIVM *Scriptor. rer. German. Tom. III. p. 161.* LVNIGIVM *Continuat. Part. I. Spicileg. ecclesiast. p. 848.*

§. XCVIIII.

Vicario archicancellariorum munere in recognoscendis Philippi diplomatis functi sunt I. Conradus, episcopus Herbipolensis, quod ex LINDENBROGIO *Script. rer. German. p. 170.* et HVNDIO *Tom. I. p. 79. et Tom. III. p 351. et 360.* discimus, II. Conradus, episcopus Ratisponensis, qui in locum Hartwici, Aisterensis episcopi, officio suo mox depulsi, substitutus, diploma anno MCCIV. recognouit apud HVNDIVM *Tom. II. p. 179.* et denique III. Conradus, * episcopus Spirensis, qui singulari arte effecit, vt sub Ottone IV. quoque officium retineret. Imperii enim insignia, quae exstincto Philippo custodiebat, non prius restituit Ottoni, quam in officio ab ipso confirmaretur, vti memoriae prodiderunt WILHELMVS EISENGREIN in *Catalog. episcopor. Spirensium Lib. XIII. ad annum 1208.* et CVSPINIANVS in *vita Ottonis IV.* Hinc omnia eius diplomata ab anno MCCIII. vsque ad annum MCCXII. subsignauit. MEIBOMIVS *Script. rer. German. Tom. III. p. 129. p. 161. 162.* HVNDIVS *Tom. II. p. 65.* Sed Conrado in munere antecessit Hermannus, episcopus Monasteriensis, siquidem anno MCC.

diploma

diploma apud GELENIVM *Lib. I. de Vita S. Engelberti*, et alia sequenti anno auctore KLEINSORGIO in *Chron. Westphal.* recognouit. Inter cancellarios Ottonis locum quoque Geruasium Tilberiensem, *otiorum imperialium* scriptorem tenuisse ex Theodorico de Niem *Lib. II. de schismate cap. XIX.* discimus, sed memoriam de eo ex diplomatibus non accepimus.

* De Conrado, episcopo Spirensi, aulae imperialis cancellario, vide diplomata in DE GVDENVS cod. diplom. p.416. 421. 427. sq.

§. C.

Vix Fridericus II. Ottoni a Pontifice oppositus erat, quum Sigfridus, Praesul Moguntinensis, eius partibus se addixisset, mox violaturus fidem, nisi totum se ad Pontificis nutum libidinemque accommodaret. Hinc iam anno MCCXII. viuo adhuc et regnante Ottone archicancellarius diplomati Friderici II. subscripsit apud HVNDIVM *Tom. II. Metropol. p.182.* add. MEIBOMIVS *Tom. II. Script. rer. German. p.378.* Successorem habuit fratris sui filium, eiusdem nominis Sigfridum, cuius subscriptiones occurrunt in diplomatibus de an. MCCXXXII. apud GEWOLDVM de *Septemuiratu pag. 111.* et de anno MCCXXXV. apud MEIBOMIVM l. c. *Tom. III. p.208.*

§. CI.

Quum Sigfridus ab Ottone IV. defecisset: Conradus, qui vicario eius munere fungebatur, eius exemplum imitatus, in partes Friderici II. concessit, ideoque sceleris comes ac socius ad vicem Sigfridi ab eodem tempore diplomata Friderici apud HVNDIVM *loc. cit.* HEINECCIVM *Antiquit. Goslariens. p.220.* et SCHILTERVM *Instit. Iur. publ. Tom. II. Tit. XV.* recognouit. Post Conradum partes eius obtinuit Seyfridus vel Sigfridus,

Ratisbonensis episcopus, a quo subsignata diplomata exhibent HVNDIVS lib. cit. *Tom. I. p. 163.* LVNIG *Codic. Ital. diplomat. Tom. I. p. 1582.* Dn. DE LVDEWIG *Tom. IV. Reliqu. MStor. p. 258.* aliique. His ego libenter adderem Petrum de Vineis, * iuris peritissimum, et miserabili fato, quo periit, notissimum, cuius epistolae quantiuis pretii hodienum supersunt, si, quod historiarum annales commemorant, eum sacris scriniis in aula Friderici II. praefuisse, eius rei memoria diplomatibus quoque testata esset.

* Conf. THEOPH. CHRIST. A MOSHEIM comm. de vita Petri de Pretio, Vicecancellarii Conradi II. Regis Rom. et Sicil. Goettingae 4. 1747.

† De quaestione hic tractanda, an Vicecancellarii munus in subscribendis imperat. diplomatibus hodie cesset, si AEpiscopus Moguntinus, Archicancellarius in aula Imperatoris praesens sit, hoc est tenendum, sub Maximiliano I. et Carolo V., quoties AEpiscopi Moguntini in aula Caesaris praesentes fuerunt, ad certum tempus solos diplomatibus subscripsisse. Exempla varia hanc in rem adduxit BOEHMERVS, diss. de episcopo vicecancellario Imp. p. 17.

§. CII.

Sed hic quidem subsistimus, quia post Fridericum II. sequuta est luctuosa illa temporum confusio, quae, perfractis legibus, spretisque maiorum institutis, omnem fere ordinem splendoremque rei publicae deleuit. Turbata autem continua Imperatorum serie, et distractis in diuersas factiones Principibus Germaniae, palatii Caesarei rationes quoque fluctuasse et suprema officia turbata esse, facile est ad intelligendum. Neque vero desunt diplomata, quae interregni magni temporibus prodierunt, in quibus Moguntini Praesules sacri imperii per Germaniam archicancellarios se vocant; qualia reperies apud GEORG. CHRISTIAN. IOANNIS *Scriptorum Moguntinor.*

guntinor. Tom. II. p. 537. sq. p. 600. sq. p. 657. sq. Caeterum archicancellarios, qui Regum, qui tum veluti per scenam introducebantur, diplomatibus subscripserunt, sedulo inuestigauit IO. GVIL. HOFFMANNVS in Commentat. *de Iure publ. quod in S. R. Imper. interregni magni tempor. obtinuit §. XXXI sq.* Post interregnum quum rarius diplomata ad vicem archicancellariorum recognita sint, sed a solis cancellariis et testibus subsignata, vti diximus, non est, quod vlterius progrediamur.

CAPVT VI.

DE ADNOTATIONIBVS TEMPORVM, INDICTIONIBVS ALIISQVE NOTIS CHRONOLOGICIS.

§. I.

PROGREDIMVR ad postremam rei diplomaticae partem, quae circa Chronologiam versatur, et temporum notas indictionesque explicat. Quum in fine diplomatum tempus, quo diploma datum, designetur; nemo facile negauerit, consulendam esse chronologiam, eamque ad rem diplomaticam pertinere.

§. II.

Quid? quod tam luculenta argumenta illa suppeditat ad detegendas falsariorum fraudes, et ad firmandam stabiliendamque authenticorum diplomatum auctoritatem, vt necessitate et vtilitate reliquis rei diplomaticae partibus fere anteponenda videatur. Nusquam enim magis falsariorum in confingendis diplomatis astutia defecit, quam in temporum descriptionibus, in quibus se sua imprudentia veluti sorices impostores prodi-

prodiderunt. Sane si quando litterarum ductus, monogrammatum figuras, sigilla et similia satis feliciter imitando expresserunt, vt ad genuinam speciem et similitudinem proxime accederent; semper tamen contra temporum rationes ab iis peccatum esse, dudum obseruatum est. Non ignorabant rei huius difficultatem artisque suae infirmitatem ipsi falsarii. Callide itaque fraudis suspicionem hac in re effugere se putabant, si ipsam Chronologiae partem tamquam vetustate exesam, aut alio casu corruptam, redderent corrosam. Non potuit hic fucus non statim subolere Procuratori Mediolanensi in diplomate, quod Abbas S. Donati de Scozula contra eum produxerat. Quare primo statim loco diplomati isti obiiciebat, *quod ibi maxime adpareret consumtum*, (scilicet in annotatione indictionis) *vbi potuisset falsitas facilius deprehendi*. Totam hanc controuersiam adcurate exponit INNOCENTIVS III. P. R. in rescripto ad archiepiscopum Mediolanensem de an. MCCVIII., quod exstat in *Cap. VI. X. de fide instrumentor.* Dignum illud est, quod hic iterum iterumque legatur, quippe ex quo solo discere possumus, quantum in iure vsum ars diplomatica habeat.

* In inuestiganda diplomatum veritate et chronologia egregium vsum praestat *Celeb.* I. D. KOEHLERI *directorium chronologico-diplomaticum annorum regni et imperii omnium Regum Germ. et Imperat. Rom.* Marqu. Freheri directorio adiectum.

§. III.

Sapienter iam Romani in temporis adnotatione permultum inesse momenti existimarunt. Hinc in tabulis publicis praecipue requirebant diem et consulem, adeo, vt rescripta, quae illo carerent, auctoritate destituerentur per *Leg. IIII. C. de diuers. rescript.* et sedulo cauebant,

cauebant, vt dies et conſul tabularum clam haberetur. Ita enim VLPIANVS in *L. II. §. VI. D. teſtam. quemadmod. aperiant.* ait: *diem et conſulem tabularum non patitur praetor deſcribi vel inſpici idcirco, ne quid falſi fiat. Namque etiam inſpectio materiam falſo fabricando inſtruere poteſt.*

§. IIII.

Chronologia, quae in diplomatibus obſeruatur, ad tria reuocari poteſt capita. Conſiſtit enim I. in adpoſitione anni et diei. Haec quam neceſſaria viſa ſit Germanis in chartis, intelligi poteſt ex *Leg. Alamannor. Tit. XLIII.* qua *ſcripturam, niſi in qua annus et dies euidenter oſtendatur, non valere* cauetur. Lex Baiuuariorum *Tit. XV. c. XIII.* et Capitulare Caroli M. *Lib. VI. c. CXLVII.* diſerte requirunt adpoſitionem anni et diei, et placita, quae hac munita ſunt, firma eſſe praecipiunt. II. in adnotatione indictionis, et denique III. in adiectione annorum regni et imperii.

§. V.

Germani aeque, ac aliae gentes non certam et vnicam, ſed variam et diuerſam numerandi annos, eosque inchoandi rationem ſequuti ſunt. Vnde magna temporum ac rerum orta eſt perturbatio, nec minor difficultas, ob crebras varietates et diuerſitates epocharum, conciliandi auctorum diſſenſiones. Obſeruauit haec incommoda, quae epocharum variatio inuexerat, Concilium Colonienſe de anno MCCCX. apud HARDVINVM *Tom. VII. p. 1315.* quod ideo illis occurrendum ſtatuit. Vix opus eſt, immorari perſequendis annos computandi modis aliarum gentium: quare miſſis iam peregrinis conſuetudinibus, Germanicas ſtrictim conſectabimur.

Aa §. VI.

§. VI.

Videamus primo de aera Germanorum. Hi antiquiſſimis temporibus annum a Calendis Martiis auſpicati ſunt, quod conſtat ex *Lege Alamann. T. XVII. §. 5.* qua cautum: *ne in mallo publico transactis tribus Kalendis Martiis poſthaec ancilla maneat in perpetuum.* Eadem verba habet Decretum Thaſſilonis *cap. II. §. 12.* Tres enim Calendae Martiae de tribus annis intelliguntur. Paullo clarius Concilium Vernenſe de anno MCCLV. cap. IIII. hoc innuit hisce verbis: *vt bis in anno Synodus fiat. Prima Synodus menſe primo, quod eſt Kalendis Martiis etc.* Epocham hanc ſequuti quoque ſunt Francorum Reges primae et ſecundae ſtirpis, vti auctor eſt MABILLON *de re diplomat. Lib. II. cap. XXIII. §. 111.* Aliter olim philoſophabantur Leodienſes, qui exordium anni a die XVIIII. Martii, ſiue a XIIII. Calend. April. ducebant. Contendunt enim in epiſtola de differentia quatuor temporum ad Treuirenſes ſcripta apud MARTENE *Tom. I. Anecdotor. p. 295.* annum non initio, ſed medio Martii coepiſſe, adeoque Calendas Martii fini magis, quam principio anni congruere. Sed haec philoſophia non videtur publici ſaporis fuiſſe.

§. VII.

Poſteriores Germani annum a tempore incarnationis Chriſti inchoabant. Et haec quidem aera eſt vulgaris, quam inuenit Dionyſius Exiguus, Abbas Romanus, qui ſaeculo ſexto ineunte floruit. Recepta primum illa eſt a conditoribus annalium, qui in chronicis ſuis incarnationis annos adſcripſerunt, quorum vſum poſtea in diplomata Reges introduxerunt. Exemplum eius rei antiquiſſimum eſt diploma Longobardicum, ſaeculi

saeculi octaui initio in cortice scriptum, quod in lucem protulit BERNARD MONTFAVCON in *Diario Italico cap. IV. p. 64.*

§. VIII.

Annos autem incarnationis communi fere consensu a natiuitate Christi computabant. Ita enim WIPPO in *Vita Conradi Salici* apud PISTORIVM *Tom. I. Script. rer. German. p. 433. Inchoante anno Natiuitatis Christi Rex Chuonradus in ipsa regia ciuitate natalem Domini celebrauit.* Bruno in historia belli Saxon. apud FREHERVM *Tom. I. Scriptor. rer. Germ. p. 119. Natalis dominici festiuitatem, vbi* MLXXVI. *annus ab incarnatione Domini inchoatur*, et paullo post: *transacto vero natali Domini proximo, qui incarnatione Domini coeptus annus erat.* add. DV FRESNE in *Glossario* v. *annus*, et CHRONICON GOTTWIC. *Lib. II. p. 134.* Quum tempus natalium Christi congruat cum tempore Solstitii hiberni, et hoc apud antiquissimos Germanos anni exordium constituerit, vti ostendit IOSEPHVS SCALIGER de *emendat. tempor. Lib. II. p. 170.*: haec quoque ratio fuisse videtur, cur hunc computandi modum posteri obseruarint.

§. VIIII.

Ex rationibus Dionysii anni initium non a die seruatoris nostri natali, sed a XXV. die Martii ducendum foret, quia incarnatio potius a tempore conceptionis, quam natiuitatis repetenda est, conceptio autem in diem XXV. Martii incidit. Hinc quoque nationes quaedam a die annunciationi Mariae festo annos inchoarunt, vti Angli, quos Wilhelmus Nortmannus Conquestor hanc putandi rationem docuit. V. C. CHRIST. GOTTLOB HALTAVS in *Calendario medii aeui p. 24.*

Treuirenses quoque eumdem annos auspicandi morem tenuerunt, quod docet BROWERVS in *Annal. Treuirens. L. XVIII. §. 97. p. 258.*

§. X.

Non parum auctoritatis huic computandi modo accessit ex eo, quod ecclesia Romana illi faueret. Ita enim Eugenius IV. Papa an. MCCCCXL. hortatu Blondi Foroliuiensis nominatim statuit, annorum initia non amplius a Kal. Ianuarii, vti Iulius Caesar; aut a die XXV. Martii, vt Dionysius ordinauerat; sed a natalitio Christi festo numeranda esse, vti obseruat GASSARVS in *Annal. August.* apud MENCKEN *Tom. I. Script. rer. Germ. p. 1505.* Hinc magno numero Germani ob reuerentiam in ecclesiam Rom. computationem adoptarunt, missa epocha, qua antea vtebantur. Ad exemplum ecclesiae Rom. prouocat Concilium Coloniense, sancitque, vt de caetero annus domini obseruetur, et in natiuitate Christi innouetur a quolibet anno, prout sacrosancta Romana ecclesia id obseruat apud HARDVINVM *Tom. VII. p. 1315.*

§. XI.

Etsi vero natalis Christi dies apud Germanos plerosque annum aperuit; nihil tamen obstitit, quo minus alii alias rationes inchoandi annum inirent. Nouimus enim, veteres annum etiam auspicatos esse a Calendis Ianuarii, seu a die circumcisionis, qui passim vocatur *der neue Jahrs-Tag, der Tag des ingehenden Jahres.* Iam tempore S. Bonifacii Germanos Romanorum more annum vulgo a Calendis Ianuarii inchoasse, docemur ex Epistola Zachariae Papae ad Bonifacium de an. DCCXII., vbi Germani Calendas Ianuarias et Brumam ritu paganorum colere, et aliquid noui facere *propter nouum*

annum

annum prohibentur. DV CANGE in *Gloſſar. v. annus.* A feſto Paſchatos die initium anni ducebant Galli, teſte MABILLON loc. cit. *L. II. c. XXIII. §. VI. ſq.* quorum conſuetudinem ſuam quoque fecerunt Belgae et Heluetii. OLIVAR. VREDIVS de *Sigillis Comit. Flandr. p. 228.* et HOTTINGER in *Heluet. Kirch. Geſch. P. II. p. 122.* Alii alias epochas obſeruabant.

§. XII.

Cur a Paſchate annus coeptus ſit, disquirit MABILLON l. c. *§. VIII.* et recte ob reuerentiam feſti Paſchalis diei hoc factum eſſe coniicit. Generatim enim obſeruaſſe iuuat, gentes et Germanos, prout huic vel illi diei feſto maiorem cultum atque ſolemnitatem prae reliquis deberi crederent, ab eo ſimul annorum exordia duxiſſe. Inde fluxit tanta epocharum varietas, quae crucem figit veteris aeui monimentorum lectoribus. V. C. HALTAVS in *Calendar. med. aeui p. 23.*

§. XIII.

Ex annalibus vſum annorum incarnationis in chartas et diplomata iam inde a ſaeculo octauo tranſiiſſe, ſupra oſtendimus. Iam quando Franci et Germani annos incarnationis in diplomatibus ſuis adſcripſerint, diſpiciendum eſt. Ex Merouingicorum Regum diplomatis annos incarnationis exulare, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, et luculenter probatum a NIC. ZYLLESIO in *Defenſ. Abbat. S. Maximini P. II. p. 59. Manifeſte*, inquit, *conſtat ex hiſtoria, Dagoberti aetate et multo etiam poſt ad Caroli M. tempora, expeditas non fuiſſe a Regibus Francorum litteras adſcriptis incarnationis Domini annis.*

§. XIIII.

Nec alius mos fuit secundae stirpis Regum, quippe qui Merouingicorum exemplum sequuti sunt, nisi quod eorum diplomata, quae rem publicam maxime spectant, cum annis regni adiunctos habeant annos incarnationis. Exstant enim apud NIC. SCHATEN *Lib. VIII. Histor. Westphal. p. 597.* et *L. IX. ad an. 803.* et IO. MABILLON *de re diplomat. L. II. cap. XXVI. §. 4.* complura diplomata Carolina integrae fidei, quae annos incarnationis praeferunt. Inde facile intelligitur, an probanda sit sententia DAVID. BLONDELLI, qui *in Pleniore Genealog. Franc. assertione* scribit, nulla Francorum monimenta tota Pippini, Caroli M., Ludouici Pii, et filiorum aetate, Christi annis, quod postea in more positum, consignata reperiri, si forte synodica excipias. Errat quoque SALOMO VAN TIL in Diss. Ienae cum praefatione IO. GEORG. WALCHII an. 1741. recusa, *de annis Christi, Phosphoro prophetico adnexa Part. I. cap. I.* qui sub Eugenii IV. pontificatu anno MCCCCXXXI. demum hanc computandi rationem inualuisse contendit, adeoque huius aerae vsum longe recentiorem contra diplomatum fidem facit. Nec hoc mirum videri debet, siquidem modus numerandi annos a tempore incarnationis, tempore Caroli M., non incognitus fuit, quod vel constitutiones in synodis factae satis demonstrant, apud MABILLON *l. c. L. V. Tab. 54. 55. sq.* Vnum modo exemplum hic adferre licebit. Synodi Germanicae Dingoluingensis hoc est principium: *Regnante in perpetuum domino nostro Iesu Christo, in anno vero XXII. regni religiosissimi Ducis Tassilonis Gentis Boioariorum sub die, quod erat II. Octobr. atque anno ab incarnatione dominica*

DCCLXXII.

DCCLXXII. *Indictione X.* Exstat apud GEWOLDVM in *Addit. ad Hundii Metropol. T. I. p. 450.*

§. XV.

Recte ergo originem annorum incarnationis a Carolingorum temporibus repetendam censemus. Quamuis enim IO. AVENTINVS *L. IV. annal. Boioar. cap. VI. p. 461.* NICOL. VIGNIER *Chronic. Burgundiae ad ann. 885.* STVMPFIVS *L. VII. Heluet. cap. VI. p. 197.* aliique eam ad Carolum Crassum referant: satis tamen hanc sententiam iam refellerunt viri doctissimi MARQVARD. FREHERVS in *Notis ad Constitut. Caroli Crassi*, et HERMAN. CONRINGIVS in *Censura diplomat. Lindau. cap. XVII. p. 323.* Illud vero certissimum est, Carolum Crassum magis firmasse vsum annorum Christi in diplomatibus, vagum antea et inconstantem, eumque certiorem ab eius aetate inualuisse, et ad posteriores Germanorum Reges propagatum esse.

* Aeram Dionysianam Pipini aetate iam receptam fuisse, auctor est BVCHERIVS *S. 8. I. Chron. rerum Francic.* Sed maxime placet sententia MABILLONII, qui *L. II. c. 28. §. 1.* incarnationis annos iam inde a saec. VIII. in diplomata nonnumquam admissos esse, ex traditionibus Fuldens. Pistorianis demonstrat. Idem tamen *c. 26. §. 14.* non negat, Carolingorum tabulas plerasque adhuc epocha illa carere. conf. Ill. HEINECCIVS, diss. *de genuina natiuit. Christi aera §. 4.* In numis ne ea quidem aetate, qua in diplomatibus adscribi coepit, aera Dionysiaca adparet. Ex quo facile patet, quid sentiendum sit de numo Bracteato Ducis Saxoniae, ap. TENZEL. in *Dialog. Menstr. an. 1691. p. 619.* v. HEINECCIVS *l. c.* §. 7.

§. XVI.

Sequitur iam altera Chronologiae pars, quae in adnotatione indictionis consistit (§. IV.). Est autem Indictio spatium XV. annorum, quod annis Christi addi solet. Tria ergo lustra comprehendit indictio. Quum vero

vero singulis olim lustris Romae census ageretur, et census in prouinciis noua adferre tributa, vt ait AMMIANVS MARCELLINVS *Histor. Lib. XIX. c. XI.*: probabile sane est, a tributariis pensitationibus seu indictionibus nomen manasse. Ratio quoque inde reddi potest, cur XV. annorum spatio indictiones finiantur, vt scilicet prouincialibus constaret, qualia tributa indicta et conferenda essent, siquidem singulis lustris alia exigebantur.

§. XVII.

Ante Constantini M. Imperat. tempora, qui obtinuisse indictiones negant, adcuratius rationes subducere videntur, quam qui originem illarum inde ab Augusti tempore repetunt, aut ad Quinquennalia Imperatorum Rom. referunt. Exploratum enim est, nullum indictionum vsum fuisse ante Constantinum. Quippe huic Imperatori Chronologi adscribunt indictionem, quae ab VIII. Kalend. Octobr. proficiscitur, ab eoque Constantinianam adpellant. HENRIC. NORISIVS *de anno et epocha Syro Macedon. Diss. III. p. 199.*

§. XVIII.

Tres autem notandae sunt indictionum species, I. Constantinopolitana seu Graeca, quae a Calendis Septembris inchoatur, II. Constantiniana, quae ab VIII. Cal. Octobris, et III. Pontificia seu Romana, quae a Calendis Ianuarii incipit. Ex his Constantiniana potissimum ab Imperatoribus vsu seruata est, ideoque etiam *caesarea* dicitur. DV FRESNE in *Glossar. v. indictio.* Eamdem quoque Iustinianus Imp. instrumentis inseri iussit per *Nou. XLVII. cap. I.* Vsum eius adhuc hodie Notarii in imperio retinent ex Constitutione Maximiliani I. *de Notariis §. III.*

§. XVIIII.

§. XVIIII.

Hanc quidem computationem per indictionem ad cauendos errores, qui de temporum ordine forte oboriri poterant, inuentam esse, ait BEDA de *ratione tempor. cap. XLVIII.* Veri quoque simile est, eam ob caussam imperatores ea vsos esse, vt ex collatione temporum inter se, anni scilicet christiani, et indictionis veritas, et falsitas instrumenti eo facilius intelligi posset. Nec adeo absurda est haec ratio, quam quidem nonnullis videtur, licet computatio ipsa perplexa et intricata sit. Vide, quae de ea disputat Dn. DE LVDEWIG in *Comment. ad Aur. Bull. P. I. p. 89.*

§. XX.

Exponendum iam est, quomodo inueniatur indictio, * quod scite intelligenterque ostendit scriptor antiquus, ROLLANDINVS in *summa Notariae*, cuius verba ab hoc loco non aliena esse videntur. „Fuit vero, „inquit, primo inuenta ista indictio, siue factum fuit „istud praeceptum a Caesare Augusto tribus annis ante, „quam Dominus nasceretur de virgine, et propter hoc „diuisis annis Domini per quindenos, si quid a quinde- „nis supererit, ei quod supererit, debent addi tres, et „quot fuerint illi anni, qui supererunt a quindenis cum „dictis additis tribus, tanta erit indictio etc.„ Declarant quoque hoc versus sequentes:

Si per quindenos Domini diuiseris annos,
His tribus adiunctis, indictio certa patebit.
Si nihil excedit quindena indictio currit.

* Indictionis rationem satis dilucide exposuit ANTON CONTIVS *L. I. Lect. subseciu.* Exstat etiam de indictionis vsu, et diuersarum temporis adnotationum obseruatio in MEM. DE L'ACAD. DES INSCRIPT. *ex edit. Bertrami.*

§. XXI.

Indictionis vſum ante initium ſaeculi VIIII. in diplomatibus Francicis nullum fuiſſe, et non adeo frequentem apud hiſtoricos, recte cenſet CAROLVS LE COINTE *Annal. eccleſiaſt. Tom. II. ad annum DLXXV. n. 5.* licet ante id tempus in actis Conciliorum aliisque monimentis locum nonnumquam habuerit, quod oſtendit MABILLON *de re diplom. Lib. II. cap. XXIIII. §. 11.* Itaque ab imperio Caroli M. id eſt, ab ineunte an. DCCCI. in diplomatibus modus ſignandi tempora per indictionem inualuit. Regulam hanc iam dedit PAPEBROCH in *Propyl. antiquar. Part. I. c. VIII. §. 116.* quam magis firmauit MABILLON *loc. cit. cap. XXVI. §. 5.* A Carolingis morem hunc acceperunt Germani, et conſtanter retinuerunt. Quum vero Franci varias ſequerentur indictiones, modo Conſtantinopolitanam, modo Romanam, auctore MABILLON l. c. *cap. XXIV. §. 3.*: apud Germanos non niſi ea indictio, quae ab VIII. Kal. Octobris incipit, ſeu Conſtantiniana obtinuit. DV FRESNE l. c.

§. XXII.

Ad Chronologiam quoque pertinet computatio annorum regni et imperii (§. IIII.). Mos adſcribendi annos regni in numis primum inualuit. Graeci enim Imperatores in numis ſuis aereis annos imperii deſignarunt, quod luculenter comprobant Iuſtini Thracis, Iuſtiniani, Iuſtini iunioris, Tiberii, Mauritii, Phocae, Heraclii, aliorumque numi, vti auctor eſt CANGIVS in *Diſſertat. de inferioris aeui numiſmat. §. XLIV.* Immo longe iam ante inſtauratam Conſtantinopolim annos imperii in numiſmatibus adſcriptos eſſe, inſigni eruditionis adparatu oſtendit doctiſſimus HENRICVS NO-

RISIVS

RISIVS in *Differt. de duobus nummis Diocletiani et Licinii cap. VI.*

§. XXIII.

Ex numis in diplomata morem hunc transiisse nullus dubito. Nam in antiquissimis Regum Francicorum diplomatis annos imperii adscriptos esse, obseruat MABILLON l. c. *cap. XXVI. §. VI. seq.* Et, quod maxime notabile est, subnotatio temporis per annos regni antiquior est vsu aerae christianae et indictionum, quippe quibus Merouingica diplomata carere paullo ante diximus. Notas has chronologicas erudite, vt solet, examinauit laudatus MABILLON loc. cit. Idem obseruat, hanc computandi rationem per annos regni magnas difficultates peperisse. Quum enim scriptores annos istos regni cum annis incarnationis componere vellent: fieri non potuit, quin in graues inciderent errores, qui et chronologiam Regum Francorum, et historiam eorumdem mirum in modum turbant. conf. *Supplementa lib. de re diplomat. cap. VII.*

§. XXIIII.

Vti in omnibus fere Germanici Reges Francos imitati sunt; ita quoque hanc consuetudinem adscribendi annos regni in diplomatibus suis fecerunt. Reges annos regni tantum exprimebant, qui, si imperatores creati essent, imperii annos seorsim numerabant. Ob diuersam igitur regiam et imperatoriam dignitatem duas adhibebant epochas, alteram regni Germanici, alteram imperii, et si qua alia regna tenerent, horum quoque annos computabant. Id quod iam Francorum Regibus secundae stirpis solemne fuisse, ostendit MABILLON *loc. cit. §. XII. seq.* Sic Henricus I. annos

annos regni tantum numerat, non imperii, quia imperator numquam adpellatus eſt. Accepto vero Lotharingiae regno, ſingulari quoque epocha in computandis Lotharingici regni annis vſus eſt. Otto M. qui primus e Germaniae Regibus Romanum imperium obtinuit, annos regni et imperii numerat in diplomate de anno DCCCCLXV. apud LEVBERVM in *disquiſit. de ſtapula Saxon. num. 1660. ſeq.* hac formula: *Anno Regni Domini Ottonis XXX. Imperii III.* et diplomate de anno DCCCCLXX. apud ZYLLESIVM in *Defenſ. Abbat. S. Maximini P. III. n. 15. Anno Regni Domini Ottonis XXXV. Imperii autem IX. filiique eius Regni X. Imperii autem IV.** Idem Imperator, poſtquam Italiam ingreſſus eſt, annos Italici regni quoque computauit, quod teſtatur diploma ipſius eo anno datum apud PVRICELLVM *Monument. Ambroſ. Mediolanenſ. ad annum DCCCCLI. p. 293.* vbi haec occurrit ſubſcriptio: *Data VI. Idus Octobris anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCLI. Indictione X. anno regni Ottonis Regis in Italia I. actum Papiae.*

* Singulare hoc eſt in Ottonis M. diplomatibus, quod etiam filii eius Ottonis II. anni regni et Imperii numerentur, ex quo in regni imperiique conſortium a patre cooptatus eſt. In aliis etiam eiusdem Imperatoris diplomatis chartisque priuatis, eodem tempore editis, hoc obſeruari teſtatur CHRON. GOTTWIC. *Lib. II. pag. 190.* Neque tamen inſolitum hocce regni eſt in diplomatibus conſortium. Quin diu ante Ottonem M. vtriusque imperatoris nomine diplomata ſcripta et ſignata ſunt. Sic Ludouicus Pius, poſtquam filium Lotharium imperatoris titulo et inſignibus donauerat, inter alia conſtituit, vt diplomata in poſterum vtriusque imperatoris nomina praeferrent. v. HEINECCIVS de *vita et rebus geſtis Ludou. Germ. L. I. c. 4. §. 6.*

§. XXV.

Carolingi annos regni et imperii non a morte illorum, quibus ſucceſſerunt, ſed ab ipſa primaeua electione

ctione et coronatione regia et imperiali computabant. MALLINKROT de *archicancellariis imperii P. II. p. 316.* Reges autem et Imperatores Germaniae epocham hanc regulariter auspicantur a tempore suscepti regni et imperii, seu consecrationis regiae et imperatoriae. Otto II. quia a patre in regni imperiique societatem receptus erat, Carolingorum morem reuocauit in vsum, annosque regni et imperii a primaeua regii et imperialis tituli adquisitione, veluti in arrham et pignus successionis futurae certissimum numerauit. MALLINKROT l. c. et CHRON. GOTTWIC. *Lib. II. p. 204.* SIGEBERT. GEMBL. *ad an. DCCCCLXXI.* vid. *diploma* apud SCHATEN *annal. Paderborn. L. IIII. ad a. DCCCCLXVIII. et LXVIIII.*

* Carolus M. consulatum pro imperio sumsit, *annumque consulatus primum* pro anno imper. primo habuit et in plerisque tabulis signauit. SCHVRZFLEISCH. *diss. de Coss. §. 6.*

§. XXVI.

Aliam plane computandi rationem inierunt Henrici, Imperatores Salici. Hi enim tempus, quo viuis adhuc parentibus regis titulum gesserunt, quod nouo vocabulo *ordinationis* denotant, distinguebant a tempore, quo ipsi regni gubernacula moderati sunt. Hinc primo annos ordinationis, porro annos regni, et denique annos imperii numerant. Henrici III. in diplomate de anno MLVI. apud ZYLLESIVM *in Defens. Abbat. S. Maximini Part. III. num. 24. 25.* haec est subscriptio: *Anno autem Domini Henrici tertii Regis, secundi Imperatoris, ordinationis XXVIII. Regni vero XVIII. Imperii X.* Ordinatio ergo significat primaeuam illam Regis adpellationem, per annum regni vero ipsa regni

adminiſtratio deſignatur. Diſcrimen hoc antea minus vſitatum ſeruarunt omnes Henrici Imperatores. Poſt Henricum V. qui ipſe rarius annos ordinationis numerauit teſte CHRON. GOTTWIC. *L. II. p.324.* huius epochae vſus plane exoleuit.

* De notis chronologicis diplomatum Pontificiorum haec habet MABILLON *L. II. de re diplomat. c. 25. §. 1.* Varii pro temporum ratione chronologici characteres iis adpoſiti ſunt. Primum enim a Conſulibus et Indictione, tum ab annis Impp. vt Gregorius M. Gregorius II. et III. Zacharias et alii; poſtea ab annis ipſorum Pontificum cum annis Impp.: ac demum ab annis Incarnationis, Indictionis et Pontificatus cuiusque deſumti ſunt. Tres priores modi ad ſaec. VIIII. obtinuerunt, quo tempore paullatim omiſſis Impp. annis ſuos ſubſtituerunt Pontifices (maxime Gregorius VII.) poſtquam ob inueſtituras Impp. nomen illis odioſum eſſe coepit, eumque morem deinceps cum Indictione retinuerunt.

Exinde B. S. CYPRIANVS in *der Belehrung vom Urſprung und Wachsthum des Pabſtthums* p. m. 322. recte colligit, Pontifices Rom. Imperatoris iuri ſubiectos fuiſſe, quod confirmat Natalis Alexander Hiſtor. eccleſ. ſaec. IV. diſſ. 25. p. m. 319. ſq. Pontifices hanc e ſuis diplomatibus ſeruitutis notam expunxerunt.

§. XXVII.

Notatu vero digniſſimum eſt, Henricum V. Imperatorem annos etiam a transactione de inueſtitura per annulum et baculum anno MCXXII. cum Calixto II. Pontifice Romano facta, numeraſſe. Exſtat enim diploma apud NIC. SCHATENIVM *Annal. Paderbornenſ. Tom. I. Lib. VII. p. 703.* cum hac ſubſcriptione: *Data Anno Dominicae Incarnationis MCXXIII. Indict. XIII. apud Louiſſen, quando Dominus Imperator annulum et baculum remiſit durante adhuc eo anno.* Tanti viſum eſt perſtrenuo huic auguſtorum iurium vindici ius inueſtiendi epiſcopos per annulum et baculum, quod non niſi aegre et poſt atrociſſimas contentiones Pontifici Romano

no concessit, vt etiam in subscriptionibus diplomatum mentionem faceret propudiosae transactionis, qua illi renunciatum. Sed satius fuisset, delere eius memoriam et plane oblitterare, quam eam cum ignominia renouare. Plura et egregia, more suo, de illa dixit vir illustris, quem honoris caussa nomino, CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER in *Commentatione de feudis sceptri Cap. I. §. V. seq.*

§. XXVIII.

Quamuis vero ordinarie anni imperii ab annis regni in diplomatibus seorsim numerentur; non tamen semper hoc adcurate obseruatum, nec inusitatam esse annorum imperii in diplomatibus omissionem, compluribus exemplis compertum est. Dn. DE WESTPHAL. *T. III. monum. inedit. p. 2014.* Etenim Reges et Imperatores discrimine hoc posthabito annos imperii cum annis regni nonnumquam coniunxerunt, ita, vt vnam chronologiam certo respectu constituerent. Luculentissimum huius rei exemplum habemus in diplomate Ottonis M. dato Veronae III. Kal. April. an. DCCCCLXX. apud ZYLLESIVM *l. c. Part. III. p. 24.* vbi positus est annus regni XXXV. quum tamen annus XXXIV. adhuc iuerit. Nimirum Otto M. sub initium anni DCCCCLXII. Romae salutatus imperator, exinde annum imperii primum numerare incipiens, abrupto regni anno XXVI. qui vltra dimidium vix effluxerat, numerare coepit annum XXVII. vt idem esset initium annorum regni et imperii, et sic cum anno regni XXXV. coniungitur annus imperii nonus. vid. PAPEBROCH in *Propyl. Part. I. §. 46.* Itaque vno plane anno, vel saltem aliquot mensibus posthabitis annos regni et imperii adaequabant, id

id quod etiam circa annos ordinationis et regni vſu venit. CHRON. GOTTWIC. *Lib. II. p. 277.*

§. XXVIIII.

Simile quid in Francicis diplomatibus reperitur. In his enim tres epochas nonnumquam in vnam imperii conflatas eſſe ait MABILLON *l. c. cap. XXVI. §. 12. ſq.* et hanc in rem exemplum ex GOLDASTI *Rer. Alemannicar. T. III. p. 59.* adfert, vbi habetur ſubſcriptio: *Datum XLI. anno imperii Caroli Caeſaris, die dominica III. Id. Februar.* Hoc enim loco ſub annis imperii annos regni Francici et Italici comprehendi animaduertit MABILLONIVS.

§. XXX.

Itaque non praetermittendae, quae potiſſimum huc pertinent regulae. Notandum vero I. nonnumquam menſes aliquot tam regni, quam imperii annorum omiſſos eſſe, ita, vt plane non numerati videantur, nonnumquam vero ita eosdem eſſe computatos, vt integrum annum conſtituant. II. annos regni et imperii ſibi alioquin in anno quidem, ſed non certo anni tempore aequales, vel additis, vel reiectis nonnullis menſibus adaequatos eſſe. Regulam hanc debemus PAPEBROCHIO *Propyl. Part. I. §. 46.* cuius vſum in diplomate Ottoniano oſtendimus §. XXVIII. Hic iam addimus, Carolo M. hoc iam ſolemne fuiſſe. Quum enim is antea regni ſui annos de autumno in autumnum numeraſſet; eosdem poſtea cum imperii annis, dimiſſis tribus menſibus, a die Chriſti natali computauit.

§. XXXI.

Non poſſum hoc loco facere, quin vel vno exemplo praeſtem, vt priorem obſeruationem ad eximendos feliciter

feliciter scrupulos, qui in chronologia diplomatum haerent, permultum prodesse omnes intelligant. Mirifice inter se scriptores dissentiunt, quo anno imperium capessiuerit Henricus Auceps. NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS in commentatione egregia de *Henrico Aucupe*, *§. XIIII. in notis p. 75.* eum anno DCCCCXIX. post Februarias Idus sceptro donatum esse, diplomatum fide nixus existimat. Sed discessionem ab eo facit IO. GEORG. LEVCKFELD in *Antiquitat. Halberstad. p. 126. sq.* et ante mensem Nouembrem Henricum annos regni auspicatum esse negat. Sed facile diuersas has sententias, quae in anno quidem regni conueniunt, verum in mensibus disiunguntur, ex regula supra proposita conciliaueris. Nam aut menses nonnulli omissi sunt, vt loco duorum, vel aliquot mensium anni prioris DCCCCXIX. integer tantum annus DCCCCXX. adiectis prioribus mensibus fuerit computatus, aut aliquot anni prioris menses pro integro anno sunt computati. vid. LOEBER de *Burggrauiis Orlamund. p. 62. sq.* Priori modo supplentur diplomata, quae minorem habent numerum annorum regni; posteriori vero casu maior annorum regni numerus intelligendus est. Ita diuersae temporum descriptiones sine pulueris iactu componuntur. Aliis exemplis regula haec illustrari potest ex CHRONICO GOTTWIC. *Lib. II. p. 189. 207. 243. 260.*

§. XXXII.

Ex his porro fluit illa generalis regula, prae ceteris, si qua alia, in hac rei diplomaticae parte obseruanda: diploma non statim pro conficto habendum, quod anachronismum quemdam praefert, aut in quo temporis notatio vitae imperatoris non recte quadrat, si reli-

qua in eo recte se habeant, nec aliud fraudis indicium adpareat. Constat enim, diplomata nonnumquam a viuis Imperatoribus inchoata, post mortem demum vulgata esse, aut ante plures annos confecta post aliquot annorum decursum in effectum deducta esse. Ad hanc rem probandam vnum modo adducam exemplum. In diplomate Ottonis M. quod ecclesiae Magdeburgensi apud LEVBERVM in *Disquisit. de stapula Saxon. n. 1605.* concessit, Otto *serenissimus Rex* adpellatur, et tamen chronologia annum DCCCCLXVI. Indict. X. annum regni Ottonis II. praefert. Quum vero Otto iam anno DCCCCLXII. imperatoris titulo vsus sit, adeoque dicto anno non Rex, sed Imperator adpellari debuerit: luculenter sane hoc arguit, diploma illud ab Ottone II. confirmatum et in effectum deductum esse. Accedit, quod huic quoque posterior annos regni computandi ratio conueniat.

§. XXXIII.

Huc quoque pertinet altera: si historicorum, etiam coaeuorum, testimonia tempori dati diplomatis contradicant, illorum auctoritas diplomatis fidem non infirmare debet. conf. Celeb. ERNESTI diss. *de Fide histor. p. 27. sq.* Elegans est exemplum, quo regulam hanc MABILLONIVS *de re diplomat. L. III. cap. VI.* illustrat, et me vti non piget. Indictus erat Ludouico XIV. Galliarum regi inaugurando dies; iam cusi hanc in rem numi, et variis monimentis huius diei memoria posteritati erat consecrata. Sed vnctio in alium differtur diem, quo data sunt aliquot diplomata, in iisque notatus dies alius ab eo, quem numi et alia monimenta praeferebant. Quid? tabellam statim posces, et falsi damnabis ista diplomata? numi, inquis, obstant! historici

in

in alia omnia abeunt! Nimis inuerecundum est, horum auctoritatem praeferre aut opponere diplomatibus: sincera enim sunt, et incorrupta, quod nemo, cui laeua mens non est, negabit.

§. XXXIIII.

Historiarum scriptores saepe bona fide falli et fallere, quis nescit, nec raro aliquid pro certo dicere, quod re adcuratius expensa, et subductis probe rationibus omnibus, falsum esse intelligitur? Itaque si historici aut tituli aduersus diplomata citantur: haec adcuratius sunt examinanda, neutiquam vero continuo proscribenda; potius interpretatio tentanda est, vt cum historicis conciliari possint. Sic facile tolli potest dissensio, quae inter Ottonem M. Imp. et Ditmarum Merseburgensem, nobilem et grauem auctorem, intercedit. Ille enim in diplomate de anno DCCCCLXI. apud CASPARVM SAGITTARIVM in *Antiquitat. Magdeburg. p. 39.* ait, se in honorem S. Petri, nec non S. Mauritii et Innocentii monasterium in ciuitate Magdeburgensi construere velle. Merseburgensis Praesul an. DCCCCLV. hoc Ottoni iam consilium fuisse refert in *Chronico* ad hunc annum. Hic enim ad coeptum opus seu ad initium, diploma ad perfectum opus respexit. CHRON. GOTTWIC. *L. II. p. 187.*

§. XXXV.

Quemadmodum vero optima quaeuis et sincera diplomata summa iniuria is condemnabit, qui propositam non obseruat regulam; ita quoque in alteram partem magnopere peccabit, si ea non recte vtatur, siquidem eius obtentu falsissimum quoduis corruptissimumque diploma immerito absoluet, et genuinum esse tamquam ex tripode pronunciabit. Ex quo satis patet,

magnam hic cautionem eſſe adhibendam, ne ſana quae ſunt, male ſana eſſe temere exiſtimemus. Alias enim regula magis obeſſet, quam prodeſſet, et ad euertenda ea, quae ſunt in arte diplomatica certo conſtituta, comparata. Sed anſam hinc cauillandi inuidioſe regulas Mabillonianas, neſcio, an ſatis verecunde et conſiderate, arripuit eruditiſſimus GEORG. HICKESIVS in Praefatione *Theſauro linguar. veterum ſeptentrional.* praemiſſa *p. 36. ſq.* „Quae, inquit, eſt infelicitas, vt regulae „ipſae ſuffugia quaedam et veluti aſyla impoſtoribus „praebeant? Quam facile eſt abuti illis non minus, „quam vti? adeo vt, niſi recte intelligantur, chartae etiam falſiſſimae earum ope excuſari poſſint;„ id quod exemplis quibusdam probare adnititur. At regularum hoc non eſt vitium, ſed eorum, qui eas aut inepte et peruerſe explicant, aut non recte adſequuntur. An Mabillonio vitio verti poteſt, quod regulis eius, quas ipſe HICKESIVS bonas et legitimas eſſe fatetur, bona fide alii non vtantur? Ita ſponte in fumum abeunt, quae acute ab HICKESIO obiiciuntur, quaeque eleganter diluit vir doctrinae iuxta ac modeſtiae laude inſignis, FRANCISCVS THEODOR. RVINART in Praef. ſecundae editioni librorum *de re diplomatica* praemiſſa.

§. XXXVI.

Quum in adnotationibus temporum occurrant formulae *Datum* et *Actum*; de illis hic iam paucis dicendum. Datum apud Graecos, anno, menſi, diei, et loco conuenit. Ita SVIDAS in *Lexico*, Δατὸν παρὰ Ρομαίοις σημασία τῆς ἡμέρας, καὶ τοῦ καιροῦ, ὅτε τῆς ἐκ πόλεος ἢ ἔκ τινος τόπου ἀποσαλῇ, *datum apud Romanos ſignificat diem et tempus, quando aliquid ex ciuitate et ex aliquo loco ablegatur.*

Vnde

Vnde patet, Datum esse anni, mensis, diei et loci, diplomati adscriptam notationem.

* Datum vel Data est temporis nota, quo rescripta sunt emissa. Constantinus M. L. I. C. Th. de Constitution. et L. I. C. Th. de Rescr. constituit, vt constitutiones et edicta in iudiciis prolata auctoritate posthac carere debeant, quae notatione temporis careant. Mentio Dati vel Datae occurrit in capit. VII. *quod nullatenus.* Haec itaque Data ad falsitatem euitandam fuit introducta. STRAVCH *amoenit. iur. Canon. eccl. c. 15.*

§. XXXVII.

Reges Francorum primae stirpis solum Datum exprimebant hac formula: *Datum, quod fecit mensis Martius dies XIIII. anno III. regni nostri, Compendio in Dei nomine feliciter,* seu *datum sub die X. Kalend. Ianuar.* Carolingi vero *Datum* seu *Data* et *Actum* in vno eodemque diplomate vsurpant, quorum alterum alteri mox praeponitur, mox subiicitur. Praeterea a Caroli M. tempore Data in tertia persona, quasi Cancellarius loquatur, concepta sunt, vti innuit formula: *Anno regni vel imperii gloriosissimi* vel *serenissimi Imperatoris* vel *Regis.* Quod secus erat in diplomatibus Merouingorum. Hi enim Datum quasi a se positum exprimebant ita: *anno regni nostri.* HERT *de fide diplomatum Sect. I. §. XV.*

§. XXXVIII.

Insigne autem vtriusque vocis est discrimen, quod qui non intelligit, eum mirifice caecutire oportet in examinandis diplomatibus. Datum denotat tempus confecti instrumenti seu expeditionis; Actum vero tempus concessionis et significatae regiae voluntatis indicat. In chartis vernacula lingua scriptis differentia haec adcurate ita efferri solet: *Gegeben und geschrieben,* vti praeclare obseruauit vir perillustris ERNESTVS

IOACH. DE WESTPHALEN in *Specim. document. Mecklenburgens. p. 93.* Vtrumque in eodem loco praesente Rege aut Imperatore fieri in continenti potest. Datum non requirit praesentiam Regis, et hoc etiam absente fieri potest in cancellariis. Actum vero numquam fieri potest absente Rege largitore, vtpote cuius voluntate et iussu ad conficiendum diploma opus est. Primus differentiam hanc ostendit MABILLON *de re diplomatica cap. XXVI. §. 10. et 13.*

§. XXXVIIII.

Parum ergo idonea est ratio, qua vtitur CAROLVS LE COINTE *Annal. Tom. VI. ad annum DCCCIII. num. 72. p. 825. seq.* ad fidem diplomatis Caroli M. de scholis Osnabrugensis episcopatus de anno DCCCIII. infringendam, quod eo tempore, quo diploma datum, nempe die XIV. Kal. Ian. Carolus Aquisgrano procul abfuerit, quod operose probat. Sed alia suppetunt eaque grauiora argumenta, quibus falsitas huius diplomatis euinci potest, quae vno quasi fasce complexus est vir celeberrimus, dum viueret, IO. GEORG. ECCARDVS in schediasm. s. t. *Diploma Caroli M. Imp. de scholis Osnabrugensis ecclesiae Graecis et Latinis critice expensum ab A. I.* Ipsum diploma Carolinum ex autographo primus adcurate in lucem protulit litteratissimus princeps, FERDINANDVS FVRSTENBERGIVS in *Monument. Paderbornens. p. 295. seq.*

§. XXXX.

Quum episcopus Monasteriensis diploma Ottonis M. datum decima Kal. Nouembr. DCCCCLXVIII. Magdeburgi, quo varia iura archiepiscopo Magdeburgensi in Abbatiam nobilium virginum Borchorstiensium, Monasteriensi

nafterienfi oppido vicinam, conceffa funt, temere et perperam fraudis accufaret, eo, quod an. DCCCCLXVIII. quo diploma Magdeburgi datum, Otto in Italia commoratus effet: obferuatione hac infigni cum fructu vfus eft perilluftris Fridericianae Academiae Cancellarius, IO. PETRVS DE LVDEWIG, et laudatum diploma ab ineptis criminationibus egregie vindicauit. *Reliquiar. MSptor. Tom. I. Praef. p. 43. et 50. Commentar. ad Aur. Bull. Tit. XXX. §. 2. p. 1403.*

§. XXXXI.

Qui mos fignandi Datum Carolingis folemnis fuit, ille a Germaniae quoque Regibus et Imperatoribus in diplomatibus feruatus eft, et obtinuit vsque ad Rudolphum Habspurgicum. Ab hoc tempore Merouingica ratio in vfum poftliminio reuocata eft, vti cenfet HERTIVS de *fide diplomat. Sect. I. §. XV.*

§. XXXXII.

Iam confiderandae notae numerales, quae in confignandis diplomatum calculis adhibitae funt. Duplicis illae generis funt, nempe numeri Romani, et Arabici, quos vulgo *cifras* vocamus. De harum cifrarum origine variae funt et diuerfae doctiffimorum hominum fententiae. Conf. HADR. RELANDI *praef. Faftis Confular. fratris fui praemiffa.* Vir eximius, PETRVS DANIEL HVETIVS in *Demonftrat. euangel. p. 647.* exiftimat, Arabicos numeros effe Graecorum characteres, a librariis Graecae linguae ignaris interpolatos, et diuturna fcribendi confuetudine corruptos, eosque Arabas a Graecis accepiffe. Pluribus hanc fententiam expofuit in *Huetianis num. XLVIII. p. 114. feq.* vbi perquam ingeniofe veftigia litterarum Graecarum in cifris noftris oftendit.

oſtendit. In partes ſuas vocat Theophanem, faeculi IX. ſcriptorem, qui diſerte teſtetur, Arabas Graecorum numeros retinuiſſe. Sed quantumuis ingenioſa et non parum probabilis ſit coniectura Hueriana; Mabillonio tamen ea non probatur. Hic enim veriſimilius eſſe putat, notas iſtas Arabicas originem duxiſſe a notis Tironianis, quippe quae magnam cum illis adfinitatem habeant. conf. V. C. IO. FRID. WEIDLERI diſſert. de *Characteribus numeror. vulgar. et eorum aetat.* §. *XIIII.*

§. XXXXIII.

Vulgares numerorum notae ab Arabibus primum inuentae, et ab his ad Europaeas gentes deriuatae ſunt. Vſum illarum ante ſaeculum XIII. Europaeos ignoraſſe, adfirmat ATHANAS. KIRCHERVS in *Arithmologia cap. IV. p. 50.*; at eundem ſaeculo X. iam in Europam tranſiiſſe, multis argumentis contendit IOAN. WALLISIVS de *Algebra cap. III. et IV.* et in *Matheſi vniuerſal. cap. X.* * Vtrumque refellit Cl. WEIDLER in *Diſſert. cit.* §. *VIII. ſeq.* longe maiorem antiquitatem cifris vindicans, vtpote quas ſaeculo ſexto inuentas, et Europaeis non incognitas fuiſſe ex BOETII, libri de *geometria* auctoris, teſtimonio colligit. Quoquo modo ſe res habet, illud certiſſimum eſt, nullum vulgaribus hisce notis numeralibus locum fuiſſe in diplomatibus, ſed dies a Francis aeque, ac Germanis numeris more Romanorum per Kalendas, Idus, Nonas exprimuntur.

* In numos ante ſaeculum XV. ſigna numerorum barbara non venerunt, et ex eo demum tempore latius eorum vſus manauit. Neque enim ante in ſcriptis codicibus frequentantur. v. HEINECCII *ſyllogen opuſculor. varior. exerc. II.* §. *7.* LVDEWIGII *Einleitung zum T. M. p. 200.* Vir Cl. FRIDER. HEVSINGER. diſſ. *de vſu ex cognit. rei numar. veter. Germanorum capienda n. 3.*

§. XXXXIIII.

§. XXXXIIII.

Neque vero solum Romanorum more Germani dies in diplomatibus designarunt, sed etiam a nominibus Sanctorum, aut a diebus festis tempora notare consueuerunt. Atque hoc est Calendarium Sanctorum, quod vere Germanicum dixeris, cuius non minus multus est vsus in diplomatibus medii aeui, adeoque de eo quaedam obseruare pretium erit. *V. I. A. FABRICIVS *Bibl. lat. L. IV. c. 6. §. 8. p. 770. sq. de calendariis ecclesiasticis Christianorum.*

* Mensem vbique notare, olim non fuit vsitatum. Veteres enim Germani tum in diplomatibus suis, tum in protocollis loco mensis solebant notare dies festorum, et Euangeliorum e. g. *vff Dinstagh nach Galli*, *nach Inuocauit*, *post purificationem*, *in die Egidii etc.* cum adpositione anni. vid. KOPP de *testament. vngebabt vnd vngestabt* p. 168.

§. XXXXV.

Vsus huius Calendarii Sanctorum iudice HERTIO de *fide diplomat.* §. *XV.* post Rudolphum Habsburgicum inoleuit. Sed antiquiorem illum esse, ex diplomatibus quibusdam iam coniecit Cl. HALTAVS in *Calendar. medii aeui praef.* §. *3.* Primum vero Belgae subscriptionibus diplomatum dies festos vel nomina sanctorum adiecerunt, siquidem antiquissima diplomata, in quibus eiusmodi subscriptiones occurrunt, Belgica sunt. Talia exstant apud AVBERTVM MIRAEVM in *diplomat. Belgic. Oper. Tom. I. p. 265.* vbi diploma datum Rodomis anno MXLIV. mense Ianuario in Octaua Epiphaniae. Aliud datum Gandaui sub die Kalend. Nouemb. qui est dies venerationis omnium Sanctorum anno MXXVI. *Tom. II. Supplem. P. II. pag. 947.* In MIRAEI *Codice donat. piar. Tom. I. pag. 109.* exstat diploma datum in De-

 cembri,

cembri, in Conceptione gloriosae virginis Mariae anno MCXCV.

§. XXXXVI.

Satis iam luculenter patet, morem hunc dies hoc modo notandi iam saeculo XI. inualuisse. Quum vero pleraque eius temporis diplomata Calendarium Romanum adhuc praeferant, et a saeculo XII. crebrius in diplomatibus mentio fiat Sanctorum dierumque festorum; rectius huic aeuo vsus calendarii Sanctorum vindicatur. Vnde non potest non suppositititum esse diploma, quod habetur in IO. DV MONT *Corps diplomatique Tom. I. Part. I. num. LV. p. 37.* quod datum dicitur an. DCCCCLXIII. in die Palmarum, XV. Kal. Maii. Nam quum vnum alterumque modo exemplum ex saeculo XI. proferri possit; quid aliud dicendum, quam istam dies per festa notandi rationem ab vsu saeculi x. plane esse alienam?

§. XXXXVII.

A Belgis paullatim hic mos ad Germanos propagatus est, iamque ab Henrico V. Imp. vsurpatus in diplomate Herbipolensi de anno MCXX. apud LEVCKFELD *Antiquitat. Poeldens. Adpend. III. p. 254.* Sub Friderico II. Imperat. frequentem eius vsum satis loquuntur diplomata de anno MCCXXIV. MCCXXXII. apud MEICHELBECK *Histor. Frisingens. Tom. I. P. I. p. 400.* WENCKERVM de *Vsburgeris p. 6.* et LVNIG *Spicileg. secul. Part. I. p. 381.* in quibus subscriptiones: in *Annunciatione Beatae Virginis in crastino Lucae Euangelistae, in Vigilia Andreae*, et eius generis aliae occurrunt. Ad finem properante saeculo XIII. regnante Rudolpho Habspurgico, et post eius obitum mos hic ferme vbique,

que, etiam in monimentis Germanicis inualuit, eiusque custodia posterioribus etiam saeculis mansit.

§. XXXXVIII.

Nomina Sanctorum Sanctarumque, quibus dies dedicati sunt, facile intelliguntur ex Martyrologiis, Actis Sanctorum, et Calendariis ecclesiasticis. Exstant eiusmodi Martyrologia, versibus comprehensa, apud LVCAM D'ACHERY in *Collect. veter. scriptor. Tom. II.* Edidit quoque V. C. CHRISTIAN GOTTLOB HALTAVS ex vetusto Codice membranaceo saeculi XIV. de nominibus Sanctorum antiquos versus memoriales in *Calend. med. aeu. p. 153.*

§. XXXXVIIII.

Sed quomodo haec tempora a nominibus Sanctorum designandi ratio ad nostros reuocatur calculos? Id quidem facile est, si dies ipse sancto sanctaeue consecratus diplomati subscriptus sit, v. g. *die S. Thomae, S. Apolloniae.* Tunc enim illo mensis die diploma datum est, qui sancti sanctaeue nomen praefert. Attamen hoc non semper fit, quia saepe etiam dies, qui Festum Sancti cuiusdam clarioris vel praecesserat, vel sequebatur, designatur, v. g. *die Lunae ante Mariae Magdalenae festum, die Mercurii post festum S. Michaelis*, et tunc maior oritur difficultas inueniendi dies.

§. L.

Immortales itaque laudes iure meruit vir illustrissimus, IOANNES DV MONT, L. B. DV CARLSCRON, quod in splendidissimo opere, quod inscribitur *Corps diplomatique du droit des gens*, secundum iustam temporum seriem diplomata digerere, eorumque data cum aera vulgari componere studuerit. Sed non mirandum

eſt, aquam illi perſaepe haeſiſſe, eumque non ſemel auſis excidiſſe. Ne quis autem hic in poſterum offendat, et vt rei diplomaticae ſtudioſis longae inquiſitionis labor abſit, ſalebroſum et obſitum ſpinis iter ingreſſus eſt IO. IACOBVS RABE in *Calendario feſtorum dierumque mobilium in vſum rei diplomaticae, Onoldi anno MDCCXXV. 4. edito*, qui laudabili inſtituto primo ordine digeſſit dies, qui Sanctorum Sanctarumque memoriae dedicati ſunt, ſingulisque adſcripſit, in quem quisque anni diem incidat: deinde indices calendarii feſtorum tam mobilium, quam immobilium contexuit, vt eius ope feliciter et ſine mora dati quilibet menſium dies, medii aeui more notati, cum noſtra computandi ratione componi poſſint. Quare praeclaram viri doctiſſimi induſtriam ad illuſtrandam diplomatum chronologiam comparatam, eo libentius maiorem in modum commendamus, quo vberiorem inde fructum capient ii, qui diplomata in vſus ſuos probe conuertere ſtudent.

§. LI.

Magnam quoque vtilitatem habet, nouiſſe atque explorata habere nomina menſium, dierum et feſtorum Germanica. Sunt quidem illa difficilia et perobſcura, vt ſaepe Delio natatore indigeant, et neſcio, quid barbari ſonant, vt adeo non mirandum ſit, complures errores ex iis perperam intellectis ortos eſſe: attamen in chartis Germanica lingua ſcriptis, et praeſertim monimentis ſaeculi XIV. identidem occurrunt. Diſcere illa potes ex Calendariis et Ritualibus Germanicis veterum eccleſiarum, quorum tamen pauca admodum exſtant, aliisque monimentis antiquis. Ex his ea, quae frequentius in ſubſcriptionibus diplomatum leguntur, cum cura eruit, et obſcuriora quaeque egregie illuſtrauit

uit V. C. CHRIST. GOTTL. HALTAVS in *Calendario medii aeui, praecipue Germanico,* quod Lipſiae MDCCXXIX. 8. prodiit, vt hac quoque in parte multum verae lucis rei diplomaticae additum ſit.

§. LII.

Eſt et alia tempus adnotandi ratio, quae Germanis noſtris in diplomatibus familiaris fuit. Nimirum veteres tempora interdum deſignare ſolebant per introitus Dominicarum, ſeu initia cantuum illorum, quos ad exordium miſſae vſurpauit eccleſia. Vnicum huius rei exemplum eſto diploma, quod exſtat apud Illuſtr. DE LVDEWIG in *Reliquiis MSCtor. Tom. I. p. 175.* cuius haec memorabilis eſt ſubſcriptio: *Datum et actum in Luckow anno Domini MCCXCVII. proxima feria quarta poſt Dominicam, qua cantatur: gaudete in Domino.* Mos hic quando coeperit, fateor me ſcire cum ignariſſimis.

§. LIII.

Quum vero hanc ob cauſſam iſta cantuum initia ſcire interſit et ne quis forſan ea hic fruſtra quaerat, ſubiiciam.

INTROITVS DOMINICARVM.

Domin. 1. Aduentus: *Ad Te leuaui.*
- - - 2. - - - *Populus Sion.*
- - - 3. - - - *Gaudete in Domino ſemper.*
- - - 4. - - - *Exurge Domine, vel Memento noſtri.*

Dom. 1. poſt Natal. Domini: *Dum medium ſilentium.*
- - 1. poſt Epiphan. *In excelſo throno.*
- - 2. - - - - *Omnis terra adoret.*
- - 3. - - - - *Adorate Dominum.*

Dom. Septuagef. *Circumdederunt me.*
- - Sexagef. *Exurge, quare obdormiſti Domine.* *

* Hic introitus notatur in binis diplomatibus in *Reliqu. MSCtor. T. I. p. 350. 351.* Dn. DE LVDEWIG.

Dominicarum ſequentium vsque ad Paſcha introitus etiam in noſtris eccleſiis audiuntur et vulgo noti ſunt; itemque illi, qui in feſto Paſchali vsque ad Pentecoſten cantantur.

Sabbathum ante Iudica: *Sitientes venite.*

Dom. Palmarum: *Domine ne longe.*

Dom. Octaua Pentecoſt. ſiue Feſtum Trinitatis: *Spiritus Domini repleuit.*

Dom. 1. poſt Trinit. *Domine in tua miſericordia.*
- - 2. - - - *Factus eſt Dominus Protector meus.*
- - 3. - - - *Reſpice in me.*
- - 4. - - - *Dominus illuminatio mea.*
- - 5. - - - *Exaudi Domine.*
- - 6. - - - *Dominus fortitudo.*
- - 7. - - - *Omnes gentes.*
- - 8. - - - *Suſcepimus.*
- - 9. - - - *Ecce Deus adiuua me.*
- - 10. - - - *Dum clamarem ad Dominum.*
- - 11. - - - *Deus in loco Sancto.*
- - 12. - - - *Deus in adiutorium.*
- - 13. - - - *Reſpice Domine.*
- - 14. - - - *Protector noſter aſpice Deus.*
- - 15. - - - *Inclina, Domine, aurem.*
- - 16. - - - *Miſerere mei.*
- - 17. - - - *Iuſtus es Domine.*
- - 18. - - - *Da pacem.*
- - 19. - - - *Salus populi ego ſum.*

Dom.

Dom. 20. post Trin. *Omnia quae fecisti.*
- - 21. - - - *In voluntate tua.*
- - 22. - - - *Si iniquitates obseruaueris, Domine.*
- - 23. - - - *Dicit Dominus: Ego cogito.*

Rationem inueniendi dies hoc modo notatos ostendit laudatus RABE in *Calendar. in vsum rei diplomat. Praef. p. 10.*

CAPVT VII.

DE LOCIS, IN QVIBVS DIPLOMATA DATA SVNT, PALATIIS ET VILLIS PVBLICIS ET CVRTIBVS REGIIS.

§. LIIII.

EXPENSIS iam iis omnibus, quae ad institutum nostrum videbantur pertinere, et ad quae potissimum animum eum adtendere oportet, qui de fide diplomatum adcurate iudicare cupit; grauissima laboris, quem ingressi sumus, parte defuncti videmur. Sed quum in calce diplomatum locus quoque adscriptus sit, vbi res gesta et diploma datum est; restat adhuc, vt de palatiis publicis, villis et curtibus regiis Regum et Imperatorum Germaniae more nostro, hoc est, quantum fieri potest, breuiter, et veluti per lancem saturam, agamus.

§. LV.

Iam vero primo omnium satis constat, Germanos nullas vrbes incoluisse, si vltimam illorum memoriam recordamur, sed fusos per vicos et dispersos, suam quemque sedem, suos penates rexisse, vti ex CORNELIO TACITO de *Moribus Germanorum c. XVI.* discimus. Hinc idem grauissimus auctor principes iura per pagos vicosque reddere consueuisse tradit *Cap. XII.*

*Saxones

* Saxones ante tempora Henrici Aucupis paucissimas vrbes, connexis et cohaerentibus aedificiis constantes habebant, sed veterum Germanorum more colebant discreti ac diuersi, vt fons, vt campus, vt nemus placebat. Sed quum Saxones exterorum praedae ac direptioni semet ipsos exponere Henricus animaduerteret; muniri castella, exstrui ciuitates, inque eas nonum quemque ex agrariis militibus commigrare iussit, et priuilegia iis perampla munifice concessit. Conrad. Vrspergensis p. 200. Hinc opulenta multa hodieque illustria apud Thuringos et Saxones oppida, Goslaria, Merseburgum, Quedlinburgum, Nordhusa, Gotha, Brema, Misna, et inprimis Susatum, celebre Westphaliae oppidum ortum suum Henrico debent. LVDEWIG in diss. *Henricus Auceps, historia anceps cap. III. p. 15. sq.* conf. CONRINGII exercit. *de vrbibus Germaniae.* HEINECCII diss. *de Colleg. in Germ. orig. et iur. cap. II. §. 2.*

§. LVI.

Ex quo regnari coepit Germania, paullatim quidem vici nonnulli vrbium speciem induere coeperunt, attamen prisci iuris patrii sanctissima mansit custodia. Etenim Franci, quum in Gallis consedissent et rerum potiti essent, vrbes, quae tamen moenibus nondum cinctae erant, teste LVITPRANDO *Lib. III. Cap. XII.* et celebriores vicos sibi retinebant, in quibus, si prouincias peragrarent, ius dicere solebant. Quemadmodum vero alios ob loci situsque amoenitatem, erant enim fere ad nemus, fluuium vel ad fontem exstructi veteri Germanorum instituto, vti auctor est TACITVS *de moribus German. Cap XVI.* cariores habebant, alios saepius adibant, siue quod maiores et celebriores, siue quod regni cuiusque capiti propiores essent; ita quoque illos prae ceteris splendidis aedificiis seu palatiis exornabant, praesertim, quum postea magnorum hominum, qui illuc confluebant, splendore celebrarentur. HADRIANVS VALESIVS *Rerum Francic. Lib. XI. ad an.* DCXXIV.

§. LVII.

§. LVII.

His ergo vicis ſiue villis poſtea *palatii* nomen haeſit, vt ab iis diſtinguerentur, quae palatiis deſtitutae erant, et villae regiae dicebantur, quia ad fiſcum regium pertinebant. Neſcio vero, quid in mentem venerit AVCTORI *Chronic. Gottwic. Lib. III. pag. 443.* quando Francorum Reges in exſtruendis palatiis Romanorum Imperatorum conſuetudinem aemulatos eſſe ſcribit. Quaſi vero externa repetenda ſint, quum domi ſimile reperiamus inſtitutum, quod TACITVS explicate planiſſimeque commemorat. Ego equidem non nego, Romanos Imperatores palatia habuiſſe, ſed iuris dicendi cauſſa eos prouincias obiiſſe, aut hanc in rem palatia condidiſſe, nemo veterum memoriae prodidit. Antiquiſſima palatia ſine dubio fuerunt in ciuitatibus epiſcopalibus; id, quod ex eo colligi poteſt, quod per canones epiſcopatus non niſi in vrbibus celebrioribus eſſe oportebat. CONCIL. SARDIC. *can. VI.* CAPITVL. Aquisgr. anno DCCLXXXIX. *Cap. XIX.* vid. GVNDLING *de Henrico Aucupe p. 122.*

§. LVIII.

Quamquam vero palatia etiam fuerint villae, vti hoc quoque nomine ſaepe in diplomatibus veniunt, aut vtraque adpellatio coniungitur; minus tamen recte omnes villas palatia dixeris, quod iam egregie obſeruauit laudatus HADRIANVS VALESIVS l. c. Erant enim, ad quas numquam, vel raro et non niſi in tranſcurſu diuertere ſolebant reges, ideoque non ornatae palatiis, quippe quae in maioribus et iis modo, quas ſaepius inuiſebant, exſtruebantur. Vnde non poſſum, quin diſceſſionem ab eruditiſſimo CANGIO faciam, qui

villas et palatia idem ſonare putat. In *Gloſſario* v. *palatia* et *villae*. Nec quidquam eum iuuat locus, quem ex diplomate Henrici II. apud ZYLLESIVM *Part. III. p. 32.* cui ſubiectum eſt: *Actum in Triburia regia villa palatio publico*, adfert, ſed potius contrarium probat. Nam ſi idem notaſſent haec vocabula; non neceſſe fuiſſet vtrumque adhibere.

§. LVIIII.

Quum reipublicae potiſſimum adminiſtrandae cauſſa inſtituta eſſent palatia; non mirandum eſt, tantam illorum fuiſſe magnificentiam, quantam Ingelheimenſis olim verſibus ſatis politis celebrauit ELMOLDVS NIGELLLVS de *rebus Ludouici Pii* apud MENCKENIVM *Scriptor. rer. German. pag. 939.* Illud enim centum columnis innixum, eiusque baſilicam aureis oſtiis aereisque poſtibus ornatam fuiſſe tradit. In his enim palatiis reges hiemare, et ſi quies, nihilque vmquam eſſet hoſtile, aeſtiua quoque agere ſolebant: ibi legatos exterarum gentium audiebant, et, quaecunque habebant rerum ſuarum pretioſiſſima, adſeruabant; inde ad bella proficiſcebantur. Praeterea ſolemnia natalis et paſchatis feſta in ſplendido Principum comitatu, et inſigni cum adparatu in palatiis celebrata eſſe, ſatis ſuperque Francorum annales teſtantur. Mos hic Germaniae quoque Regibus et Imperatoribus placuit. Sic enim GVNTHERVS in *Ligurin. Lib. V. pag. 110.* de Friderico I. ſacra Chriſti natalitia celebrante.

Hunc celebrare diem digno meditatus honore
Caeſar, vbi illuſtrem legeret ſibi Curia ſedem,
Quae poſſet pleno tot millia paſcere cornu,
Wormatiam petiit.

CON-

CONRADVS VRSPERGENSIS ad annum MCXIV. *Imperator Natalem Domini Babenberg cum summa magnificentia copiosaque Principum multitudine celebrat.* Nulla denique res fuit maioris momenti, quae non in his palatiis olim acta sit. Sic ibi de reipublicae negotiis cum proceribus deliberabant, Principum controuersias dirimebant; eo episcoporum concilia et optimatum comitia saepe indicta sunt. Placita vero siue annui populi conuentus, in quibus leges latae sunt, non procul a palatiis habebantur, de quibus pluribus agit IO. NIC. HERTIVS in *Notit. regni Francorum vet. cap. V.* Inprimis magnum illis splendorem adferebant *Curiae solemnes*, ibi summa cum pompa et magnifico ornatu celebrari solitae, quarum indolem egregie exposuerunt CAROLVS DV FRESNE Dissertat. IV. ad Ioinuillae historiam Ludouici S. apud Dn. FRIDER. WILHELMVM DE PISTORIVS *Part. I. amoenitat. historico iuridicar. p. 92. sq.* et illustris IO. IACOBVS MASCOV in Dissert. *de paribus Curiae §. III. et IV.* Sed omnium maxime notandum est, quod in his villis et palatiis Reges et Imperatores bene de se meritos priuilegiis ornarent, diplomata concederent, aut iam antea concessa confirmarent.

§. LX.

Itaque non aliam ob caussam palatia *publica*, et villae *publicae* in diplomatibus vocantur, quam quod publica negotia, quae ad regni administrationem pertinebant, in illis gererentur; quamuis ideo quoque ita dictae videntur, quod regio fisco addictae essent. POTGIESSER de *statu seruor. L. II. c. VII. §. 4. p. 427.* Quidquid enim regii iuris erat, olim publicum vocabatur, vti recte obseruauit CANGIVS in *Glossario v. palatium.*

 Neque

Neque vero Reges ſolum, ſed et Miſſi regii ac dominici ad haec palatia diuertebant, ſi iuris dicundi cauſſa conuentum per prouincias agerent, et reipublicae neceſſitatibus conſulerent, ne populus diuturnis eorum hoſpitiis nimis adfligeretur. Hinc Synodus Ticinenſis anno DCCCLV. ſanxit: *vt ſinguli conuentus et exactores reipublicae in ſuis miniſteriis per loca ſolita reſtaurent palatia, quibus cum iter dictauerit, nos legatosque noſtros valeant recipere, ne grauetur eccleſia.* Quemadmodum vero palatiorum et villarum regiarum cura commiſſa erat *Comitibus*, qui reditus in comitatum regium miſſosque dominicos erogandos curabant, dicti ideo *prouiſores;* ita principem poſt archicapellanum locum in palatiis tenebat *Comes palatii*, qui cauſſas publicas et priuatas, potiſſimum ciuiles, ſacra vice Regis iudicabat, vti docet HINCMARVS de *ordine et offic. palat. Epiſt. III. cap. XIX.* add. V. C. EVERARD. OTTO Diſſertat. de *Comit. palat. Cap. II. §. VIII. ſeq.*

* Comites palatii cauſſas minores pauperum et minus potentum dirimendi ius habebant ordinarie, maiores cauſſas aut potentium non niſi iuſſu Regis, ſeu vigore commiſſionis tractabant. *Capitul.* 77. *L. III.* EGINHARD *vita Caroli M.* c. 24. add. GREG. TVRONENSEM *L. VIIII. c. 30.* Non niſi vnum palatii Comitem eodem tempore palatio praefuiſſe contendit CONRINGIVS in Cenſura diplomat. Lindau. cap. VIII. p. 128. ſeq. Sed aliud diſcimus ex ipſis Capitular. L. III. §. 78. Tradit. Fuldenſ. p. 474. et Eginhardo epiſt. XI. quibus locis omnibus plures palatii Comites eodem tempore memorari iam docuit Hieron. Bignon. ad Marculf. L. I. c. 21. p. 914. conf. SCHILTER de *libertate eccleſiar. Germ.*

§. LXI.

Curtes regiae et *fiſci dominici* erant loca, ex quibus reditus ad regiam familiam alendam capiebantur. Ne enim Reges ſumtibus ciuium et graui eorum diſpendio

dio viuerent, villas, ex quibus ea, quae ad victum pertinebant, omniaque ad sustentationem necessaria haberent, sibi reseruabant. Sic aliae frumenta et opsonia, aliae feras, pecudes, pisces praebebant, ex aliis vinum, oleum, lac, et id genus alia sumebant: quales reditus ad curtem seu villam regiam pertinentes in diplomatibus recenseri solent. Ita Carolus M. apud *Auctorem Ludouici Pii anno MCCXCVII.* ordinauit: *qualiter in quatuor locis hiberna transigeret, vt tribus annis exactis, quarto demum anno hic maturum se quisque eorum susciperet locus, Theodwadum scilicet palatium, Cassinogilum, Andiacum et Eurogilum, quae loca quando quartum rediebatur ad annum, sufficientem regio seruitio exhibebant expensam.* Plura de voce curtis habent de LVDEWIG in *iure feud. pag. 513.* et *Lib. Baro* de KNIGGE in Diss. *de nat. et indol. castri.*

§. LXII.

Itaque hoc loco curtis denotat villam seu habitationem aedificiis, colonis, seruis, agris aliisque ad rem agrestem necessariis instructam. Sed et aliae huic voci medio aeuo subiectae erant notiones. Proprie enim significat locum sepe vel muro cinctum, in quo domus consistit, vti docet ECCARDVS ad *Legem Salicam pag. 26.* Saepe quoque in latiori sensu palatium itemque comitatum et familiam Principum designat, et speciatim iudicium, in quo caussae feudales tractantur. vid. WEGELIN de *praerogatiua ciuitat. Lindauiens. prae coenobio Lindau. pag. 86. et 90.* Hoc sensu *iudex curtis I. F. 18.* occurrit. Sic Francofurtum, vetustum et celebre Germ palatium, *curtis* vocatur in Annal. Fuldens. Freher. ad an. DCCCLXXXIX. *placitum Curte re-*

gia Franconofurt haberi cum Francis Regi complacuit, et *fiscus regius* in diplomate Ludouici apud ECCARDVM in *Origin. Saxon. pag. 50.*

§. LXIII.

A Francis institutum hoc ad Germaniae Reges et Imperatores transiit, qui vsque ad Ludouici Bauari tempora continuis itineribus prouincias peragrabant, et per vices et velut in orbem imperii negotiis operam dabant, in villas et palatia sua se, tamquam in portum, recipientes. IOANNES ADLZREITER *Annal. Boic. Part. II. ad annum* MCCCXXXVII. *p. 167.* vid. BOEHMER de *prouocat. iur. Germ. pag. 60.* Quin adeo mos hic probatus erat, vt nihil magis Germanis in Henrico IV. Imp. displicuerit, quam quod totam in sola Saxonia aetatem inerti transigeret otio deditus, nec Goslaria decederet. Hinc non sine conuiciis Saxones postulabant, vt *regnum, quod maiorum industria latissimum sit, circumiret; ecclesiis et monasteriis, viduis et orphanis, et ceteris, qui calumniam patiantur, iusta faceret.* LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS *ad annum* MLXXIV. *pag. 203.* Postquam vero Henricus Auceps plures vicos turribus moenibusque aduersus Hunnorum irruptiones communire coepit; tunc palatia in vrbibus potissimum exstructa sunt, ex quibus postea vrbes palatinae ortae. vid. GVNDLING de *Henrico Aucupe pag. 125.* Et quum Imperatores prouincias imperii principibus et episcopis hereditario iure conferre inciperent; certas tamen sibi retinebant vrbes et prouincias, e quibus fisci sui reditus necessarios praecipue petebant. Institutis dein ducatibus, in singulis

lis terram, a Ducum poteſtate liberam, ſibi reſeruabant, quam Imperatorum nomine Comites Palatini regebant. Vnde originem ducunt palatinatus, quorum reditus in fiſcum Caeſareum influebant. Sed quum ſenſim curtes regiae et fiſci imperiales episcopatuum et monaſteriorum fundationibus addicerentur; vrbes palatinae et terrae immediatae in Principum poteſtatem veniſſent; aut beneficio Imperatorum Ducibus Comitibusque donatae eſſent: vsque adeo imminuti ſunt reditus, vt vix haberent Imperatores, vnde viuerent. Hinc fieri non potuit, quin deperditis et diſſipatis imperii bonis, Ludouicus Bauarus neceſſitate adactus, in terris ſuis hereditariis certam fixamque ſibi ſedem conſtitueret, cuius exemplum ſucceſſores quoque ſequuti ſunt. LEHMANN. *Chronico Spirenſi L. VII. cap. LXXVI.* Ab eo ergo tempore, ceſſante veteri inſtituto, palatiorum quoque ſplendor obſoleuit.

§. LXIIII.

Praeclare itaque de rei diplomaticae ſtudio meriti ſunt, qui loca illa, in quibus diplomata olim conceſſa ſunt, adnotarunt, et de villis et palatiis Regum et Imperatorum Germaniae cum cura commentati ſunt. Luculentiſſimam hic aliis facem praetulit MICHAEL GERMANVS, vir doctiſſimus, et Mabillonii ſodalis diligentiſſimus, qui poſt Valeſii et Cangii induſtriam ex inſtituto Regum Francorum palatia ſecundum litterarum ſeriem recenſuit et deſcripſit, cuius commentatio librum quartum Mabilloniani

loniani operis abſoluit. Quamquam vero MABILLONIVS laboris ſui aemuli tractationem ex merito laudet: ipſe tamen eam ſuppleri poſſe obſeruauit in *Supplement. Cap. XI. num. 6.* Sic enim praetermiſit celeberrima Regum Francorum temporibus palatia Triburienſe, et Salzenſe. Huius ſitum indicant Annales Francorum a Reubero editi, et Capitularia *Tom. I. Baluz. pag. 415.* etiam Poeta Saxo ad annum DCCXC. de Carolo M.

donec prope moenia venit
Magna Palatinae ſedis, Salz nomine dictae,
Naſcenti vicina Salae.

De quo palatio adcurate diſſeruit IOANNES GEORGIVS ECCARD in *Notis ad Leibnitii diſquiſitionem* de *origine Francorum pag. 262.* et multo plenius in commentatione Germanica *von der Keyſerlichen und Koeniglichen alten Saltzburg und dem Pallaſte Saltz in Francken;* quae prodiit Herbipoli, 4.

§. LXV.

In Germania idem argumentum tractauit BENIAMIN LEVBERVS in *Diſquiſit. de ſtapula Saxonica num. 767.* et palatia Imperatorum Saxonicorum, et qui poſt eos regnarunt, recenſuit. Sed eius aliorumque, qui ſimile quid tentarunt, luminibus obſtruxit Reuerendiſſimus Praeſul Gottwicenſis, qui in CHRONIC. *Lib. III.* ampliſſima commentatione de Palatiis Regum et Imperatorum Germanic. in Germania

mania ſitis, et ordine alphabetico deſcriptis egit, et nomina illorum ita explicauit, vt nemo futurus ſit, qui poſt Homerum Iliada ſcribere velit.

§. LXVI.

Nullum ergo facile reperias diploma Regum Francorum et Germaniae Imperatorum, in quo non alicuius palatii, vel regiae ſeu publicae villae memoria celebretur. Merouingi quidem locum in diplomatibus ſuis notare ſolebant, ſed nec palatii, nec villae regiae vocabulum, aut non niſi rariſſime adiiciebant, quod Carolingis admodum familiare erat; vti Carolo M. in diplomate apud SCHANNAT in *Vindic. archiu. Fuldenſ. Tab. IV. actum Hariſtalio palatio publico in Dei nomine feliciter.* At Germaniae Reges et Imperatores modo adiiciunt palatii, vel villae nomen notationi loci, modo illud omittunt.

§. LXVII.

Non magis ad diplomatum integritatem locorum notatio intereſt, quam ad hiſtoriam, tum, quia inde eruitur notitia loci, vbi Princeps tum erat, quum aliquod diploma daret, tum quod itinerum, quae pro rei publicae vſu Reges et Imperatores obibant, ratio hinc colligi poteſt. Hinc iam antiquitus in chartis adnotationem loci Germani requirebant, id, quod ex eo patet, quod Synodus Dingoluingica apud GEWODVM in *addit. ad Metropol. Hundii Tom. I. pag. 461.* de hereditate, quae eccleſiae tradita eſt, ita conſtituit: *vt quisquis hereditatem ſuam ad eccle-*

ſiam antea donauerat, aut poſtea donauerit, ſi quid mutare voluerit, chartam ſuam habeat ita ſcriptam, vt locum et tempus et perſonam habeat. Caeterum in tabulis comitum, dynaſtarum, nobilium locum, vbi res geſta, aut negotium transactum, et ad perpetuam memoriam in litteras relatum eſt, perraro deſignatum eſſe illuſtris VALENTINVS FERDINANDVS DE GVDENVS *Syllog. varior. diplomat. praef. p. 8.* obſeruauit. Sed iam video calcem, ad quam quum decurſum ſit, nihil ſupereſt, niſi, vt illi, qui rei diplomaticae ſtudium cum interiori iuris tam publici, quam priuati ſcientia coniunxerit, id, quod MANILIVS *Lib. IIII. aſtronom. v. 209.* de notis veterum Iurisconſultorum ſcripſit, acclamem:

Hic etiam legum tabulas et condita iura
Nouerit, atque notis leuibus pendentia verba,
Et licitum didicit, vetitum quae poena ſequatur,
Perpetuus populi priuato in limine Praetor.



INDEX



INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

Numeri paginam monſtrant.

quando

Charta

I.

 Illu-

Indictio,

Lingua

Hh 2 *Reges*

Rubrica,

qui

F I N I S.







